



ARS COGITANDI EROTEMATICA

CUM

PRÆLUDIO PHILOSOPHIÆ

IN USUM

PHILOSOPHIÆ TYRONUM


INCLYTÆ

ACADEMIÆ BASILIENSIS

ADORNATA.

Dum mens nostra gravi caligine mersa laborat,
Nec benè quod deceat pectora cœca vident,
Ad Te oculos fixos, fixâ cum mente levamus,
Tu gemitus audi, votaq; nostra Deus!
Tu rege conatus, & robora mentibus adde,
Ut Tibi quod faciunt, omne probetur opus.

STIGON.





BASILEÆ,

Typis & Impensis

E. & J. R. THURNISIORUM,

Anno M DCC XV.

ILLUSTRIUM
MUSARUM CHORO
INCLYTO ET SAPIENTISSIMO
PHILOSOPHORUM
ORDINI
ALMÆ ACADEMIÆ BASILIENSIS
RUDIMENTA HÆC LOGICA
CUM VOTO
PERENNIS FLORESCENTIÆ
SUÆQUE
OBSERVANTIÆ OBSEQUII
ET
AFFECTUS DEVOTI
SINCERA TESTIFICATIONE
D.
AUTHOR.

PRÆLUDIUM PHILOSOPHIÆ.

**Qu.* 1. *Unde derivatur vox Philosophia?*

Resp. A nominibus græcis, φιλία, *amor*, & σοφία, *sapientia*, tanquam studium sapientiæ.

Vox *Philosophiæ* abstracta originem traxit à concretâ φιλόσοφος, quæ identidem derivatur à φίλος, *amicus*, & σοφὸς, *sapiens*, tanquam amans, vel studiosus sapientiæ.

**Qu.* 2. *Quisnam se primò dixit Philosophum?*

Resp. Pythagoras.

Pythagoras, etsi doctrinâ excelleret, modestiæ tamen mirificæ fuit, ac primus ipse apud *Polycratem Samium* tyrannum, cùm alii ejus studii ad id tempus *Sophi* sive *Sapientes* appellati essent, repudiavit nomen, Deo uni id convenire asserens, & *Philosophum* se novo tunc nomine professus, quod deinceps à tanto exemplo in usu fuit. Vid. *Just. Lipsii Manuduct. ad Philos. Stoic. Lib. I. Diss.* 6.

**Qu.* 3. *Numquid jam ante Pythagoram floruerunt literæ?*

Resp. Omnino.

Persæ & *Chaldæi* literas *Magiam*, & qui earum gnari essent, *Magos* salutabant; sed apud

Indos literati audiebant *Brachmanni*, apud Hebræos *Rabbani*, *Chachim*, apud ægyptios *Sacerdotes*, tandem apud græcos Σοφοί.

* *Qu.* 4. *Quinam inter Græcos κατ' ἐξοχὴν Sapientum nomine claruerunt?*

Resp. Septem: Solon, Chilon, Pittacus, Bias, Periander, Cleobulus ac Thales.

Dicta septem græciæ Sapientum juxta ordinem istum fuerunt (*a*) Γνῶθι σεαυτόν. Nosce te ipsum, (*b*) Τέλος ὁρᾷν μακροῦ βίου. Finem videre vitæ longævæ. (*c*) Καιρὸν γνῶθι. Occasionem cognosce (*d*) Οἱ πλέονες κακοί, Plerique sunt mali (*e*) Μελέτη τὸ πᾶν, Industriæ nihil est impossibile (*f*) Ἄριστον μέτρον, Modus est optimus, (*g*) Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη, Sponde prope est damnum.

* *Qu.* 6. *Quotnam modis accipi solet vox Philosophiæ?*

Resp. Quadrifariam: latissimè, latè, strictè, & strictissimè.

Philosophiæ vox homonyma est, ac (1) in sensu amplissimo significat universam hominis cognitionem, quanta quidem ex lumine naturæ acquiri potest, eoque sensu omnes complectitur disciplinas, non exceptâ *Theologiâ*, *Jurisprudentiâ* & *Medicinâ*, in quantum illæ rationis fulchro utuntur. (2) In sensu lato designat integram compagem artium, scientiarum & prudentiarum, adeoque totam *Philosophiam*, quà

quà *instrumentalem*, quà *realem*, exclusis disciplinis facultatum superiorum. (3) In sensu stricto significat solam *Philosophiam realem*, id est, *scientias atque prudentias* simul sumptas. (4) In strictissimo tandem sensu apud *Aristotelem* designabat solam *Metaphysicam*. Ex quibus diversis significationibus usitatiores sunt secunda atque tertia.

**Qu.* 7. *Quid est Philosophia in lato sensu accepta?*

Resp. Notitia rerum divinarum & humanarum, quoad naturali intellectûs lumine eas percipere datur.

Aristoteli *Philosophia* definitur γνῶσις τῶν ὄντων, ᾗ ὄντα ἐστί, τοῦ ἐστί, τῶν ὄντων φύσεως, *Entium quatenus entia sunt cognitio*, hoc est, *eorum naturæ*; eidem alibi dicitur ἐπιστήμη τῆς ἀληθείας, *Scientia veritatis*. Platoni *meditatio mortis*, & alibi Κτῆσις τῆς ἐπιστήμης, *possessio scientiæ*. Ciceroni *rerum divinarum & humanarum scientia*, *& cognitio qua causa cujusq; rei sit*. Aliis *cultura animi in objecto virtutis & veritatis*. *Studium corrigendæ mentis*, *appetitio rectæ rationis*, *ars* vel *lex vitæ*, *corporis fuga*, &c. Deinde *Philosophia* egregiis epithetis insignitur à *Cicerone*, quòd sit *vitæ dux*, *virtutis indagatrix*, *expultrix vitiorum*, *magistra morum*, *medicina mentis*, &c.

**Qu.* 8. *Quænam distinctè significantur in data definitione?*

Resp. Tria: subjectum, objectum, & finis philosophiæ.

*Qu. 9. *Quodnam igitur est subjectum Philosophiæ?*

Resp. Mens humana.

*Qu. 10. *Quomodo à Philosophis vocatur acquisita mentis notitia?*

Resp. Habitus mentis.

Facultas animæ *naturalis* communiter *intellectus, intelligentia, ratio*, vel *lumen naturale*, facultates acquisitæ autem uno nomine *habitus mentis* vocari consueverunt.

*Qu. 11. *Quænam species Habituum mentis in philosophia occurrunt?*

Resp. Artes, scientiæ, atque prudentiæ.

*Qu. 12. *Quid est Ars?*

Resp. Acquisita mentis facultas ad operandum cum facilitate.

*Qu. 13. *Quid Scientia?*

Resp. Accurata rei notitia per suas causas.

*Qu. 14. *Quid Prudentia?*

Resp. Actionum & virtutum notitia ad praxin directa.

*Qu. 15. *Quodnam est objectum Philosophiæ?*

Resp. Res divinæ & humanæ.

*Qu.

*Qu. 16. *Quid sunt res divinæ?*

Resp. Deus ipse, & ejus opera.

*Qu. 17. *Quid sunt res humanæ?*

Resp. Actiones hominum qualescunque.

*Qu. 18. *Quid sibi volunt reliqua definitionis verba?*

Resp. Philosophiam à Theologia distinguunt.

Theologia & *Philosophia* conveniunt objecto materiali, cùm utraque circa res divinas & humanas occupetur, sed differunt formali, quoniam alius est modus idem objectum tractandi apud Theologos, alius apud Philosophos; siquidem hi ex lumine naturali, illi verò ex lumine gratiæ illud explorant.

*Qu. 19. *Quotuplex notitiæ Lumen datur?*

Resp. Triplex: lumen naturæ, gratiæ, & gloriæ.

*Qu. 20. *Quid est Lumen naturæ?*

Resp. Connata hominibus intelligendi facultas.

*Qu. 21. *Quid Lumen gratiæ?*

Resp. Revelatio rerum salutarium à Deo hominibus gratiosè concessa.

*Qu. 22. *Quid Lumen gloriæ?*

Resp. Perfectissima notitia Dei, rerumque

rumque divinarum, quâ fruuntur beatæ mentes in cœlo.

**Qu. 23.* *Quisnam est Finis philosophiæ?*

Resp. Cognitio veritatis, atque possessio virtutis.

Finis philosophiæ distinguitur in *ultimum* & *subordinatum*; hic est *cognitio veritatis & possessio virtutis*, ille autem *beatitudo hominis suprema*, seu *conjunctio cum Deo in vitâ æternâ.*

**Qu. 24.* *Quomodo dividitur Philosophia?*

Resp. In instrumentalem & realem.

**Qu. 25.* *Quid est Philosophia instrumentalis?*

Resp. Quæ mentem prædisponit ad res ipsas, ac instar clavis ad reales disciplinas aditum parat.

Hæc pars Philosophiæ nunc ὀργανικὴ dicitur, quia adinstar clavis se habet ad reliquam Philosophiam: nunc προπαιδευτικὴ, velut disciplina ante cæteras addiscenda: nunc ποιητικὴ, quoniam instruit mentem, ac habilem efficit ad veritatis pervestigationem.

**Qu. 26.* *Quot sunt partes Philosophiæ instrumentalis?*

Resp. Tres artes: logica, rhetorica & grammatica.

Logica est ars benè utendi ratione. *Rhetorica* ars

ars benedicendi. *Grammatica* ars benè loquendi & ſcribendi.

Qu. 27. Quid eſt Philoſophia realis?

Reſp. Quæ circa res ipſas occupatur.

Qu. 28. Quomodo ſubdividitur?

Reſp. In theoreticam & practicam.

Qu. 29. Quid eſt Philoſophia theoretica?

Reſp. Quæ res divinas contemplatur.

Qu. 30. Quot ſunt ejus partes?

Reſp. Tres ſcientiæ: phyſica, mathematica, & pneumatica.

Qu. 31. Quid eſt Phyſica?

Reſp. Scientia corporis naturalis, quatenus eſt naturale.

Qu. 32. Quid Mathematica?

Reſp. Scientia quanti.

Qu. 33. Quid Pneumatica?

Reſp. Scientia ſpirituum.

Qu. 34. Quid eſt Philoſophia practica?

Reſp. Quæ actiones hominum explicat, ac dirigit ad ſummum bonum.

Qu. 35. Quot ſunt ejus partes?

Reſp. Tres prudentiæ: ethica, politica & œconomica.

Qu. 36. Quid eſt Ethica?

Reſp. Prudentia homines ad virtutem

tem & beatitudinem informans.

*Qu. 37. *Quid Politica?*

Reſp. Prudentia rempublicam adminiſtrandi.

*Qu. 38. *Quid Oeconomica?*

Reſp. Prudentia rem familiarem adminiſtrandi.

*Qu. 39. *Quisnam eſt Philoſophiæ author?*

Reſp. Deus ter optimus maximus.

*Qu. 40. *Ubinam locorum primò floruit Philoſophia?*

Reſp. Inter Hebræos & Chaldæos.

Apud Hebræos ſapientiâ claruerunt *Patriarchæ*, *Moſes*, *Prophetæ*, ſed omnium maximè rex *Salomon*. Inter Chaldæos *Zoroaſter*.

*Qu. 41. *Quorſum proceſſit Philoſophia à Chaldæis?*

Reſp. Ad ægyptios, inde ad græcos, arabes, italos, gallos, & poſtremò totum orbem.

Apud ægyptios inprimis claruit *Hermes Triſmegiſtus*, inter græcos *Socrates*, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Pythagoras*, & innumeri alii.

*Qu. 42. *Quænam inter græcos Sectæ florentiores erant?*

Reſp. Academica, ſtoica, peripatetica,

ca, cynica, epicurea, ſceptica, & plures aliæ.


*Qu.43. *Quænam Sectæ excellunt iſto ſeculo?*

Reſp. Carteſiana atque eclectica.

Finis Præludii.



ARS



I. N. D.

ARS COGITANDI EROTEMATICA.

PRÆCOGNITA.

Quæstio I. Unde dicta est Logica?

Resp. A voce græcâ λόγος, lat. ratio.

Logicæ vox concreta eſt, ubi ſubintelligitur ars, tanquam Logica ars. A veteribus nominabatur *Dialectica*, ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, lat. diſſerere, diſcurrere, tanquam Ars diſcurrendi; Aliàs etiam *Ars cogitandi*, *Organum* vel *Clavis philoſophiæ*, *Oculus mentis* &c. vocatur.

**Qu. 2. Quid eſt Logica?*

Reſp. Eſt Ars benè utendi ratione.

Ariſtotelici definiverunt Logicam, quòd ſit *Ars conficiens inſtrumenta, iisq; dirigens Intellectum in cognitione rerum*: *Ramæi*, quòd ſit *Ars benè diſſerendi*: *Alii*, quòd ſit *Ars benè cogitandi, benè ratiocinandi, veritatem inveſtigandi, Ars artium, Scientia ſcientiarum, ipſum docere diſcere* &c. Quæ quidem Definitiones non tam re

A ipſa,

ipſa, quàm verbis ab invicem diſtare videntur. Illa nobis arridet præ cæteris, cùm dicitur Ars benè utendi ratione, per quam videl. definiti natura, objectum & ſcopus perſpicuè & breviſſimè ſignificatur. Sicubi *Logica naturalis* diſtinguitur ab *artificiali*, tum verò per illam nihil aliud concipitur, quàm *Intellectus* vel *Rationis lumen* hominibus ad capiendam rerum notitiam à natura conceſſum, per hanc autem Ratio hominis, arte & ſtudio perfectiorem in modum inſtructa, & ab erroribus feliciter vindicata. Hæc poſterior dein duobus modis conſiderari poteſt, vel quatenus eſt in mente, tanquam habitus rectè ratiocinandi, vel quatenus eſt Literis conſignata, & in ſyſtema præceptorum digeſta; quo poſteriore ſenſu aliàs *Syſtema logicum*, *Præcepta logica*, nobis *Ars cogitandi erotematica* vocatur.

* *Qu. 3. Quodnam eſt ergo Objectum Logicæ?*

Reſp. Ratio ſeu Intellectus hominis in inquirenda veritate occupatus.

Ratio vel Intellectus, aliàs Lumen naturale, vel Lumen rationis vocatur, quo Deus omnes mortalium ex Beneplacito ſuo donavit, tanquam oculo, cujus ope tum ſeipſos, tum ſui Creatorem, tum Opera hujus mundi cognoſcere, verum à falſo, bonum à malo diſcernere, adeoque ſuam beatitudinem proſequi valerent.

Qu. 4.

* *Qu.* 4. *Quisnam est scopus Logicæ?*

Resp. Rectus rationis usus, & veritatis cognitio.

Finis Logicæ distingui potest in *ultimum* & *subordinatum*; ille est *Veritatis cognitio*, hic autem *Rationis usus* ab erroribus quoad licet vindicatus. Ex quo Dignitas ipsius artis, nec non excellens usus ad qualescunque alias Disciplinas capessendas ultrò elucescit, ut eapropter non immeritò Clavis vel Organum philosophiæ, Oculus mentis &c. nominetur. Nec obstat, quò minùs omnes Disciplinæ dicantur Logicæ speciales, id est, peculiaribus objectis applicatæ; quid enim aliud est Mathematica, quàm Logica objecto Quantitatis dextrè applicata? Quid Physica, nisi Logica circa Res naturales occupata? & sic porrò.

* *Qu.* 5. *Quodnam est subjectum, in quod Ars logica cadit?*

Resp. Mens humana.

Anima hominis à natura adeo in quosvis errores inclinat, ut nisi magno studio annitatur, evadere ad veritatem non possit. Quò igitur suos exuat errores, necesse est, ut in seipsam descendens, hinc actiones suas accuratè inspiciat, illinc ad causas aberrandi sibi undique impendentes strenuè vigilet, hasque deprehensas postmodum diligentissimè eludat.

* *Qu. 6. Quid est Mens humana?*

Resp. Est Ens cogitans, ad imaginem Dei creatum, & Corpori viventi unitum.

Ab *Augustino Lib. Deff.* Anima definitur substantia creata, invisibilis, incorporea, immortali Deo simillima, imaginem nullam habens, nisi Creatoris sui; Apud *Aristotelem Lib. 2. de Anim.* est Principium, quo vivimus, sentimus, intelligimus, nutrimur, & secundum locum movemur primum. *Socrates* Hominem ipsum animum esse dicebat, Corpus autem nihil aliud, quàm Animi organum, vel domicilium, sive potius sepulchrum, aut carcerem, unde cum emerserit, tunc demum sui juris esse, multoque quam antea felicius vivere incipiat. Ab aliis dicitur Principium cogitandi, dubitandi, judicandi &c. imò à quibuslibet ferè aliter atque aliter definitur. Sed ut *Lactantius Lib. de Opific. Dei, cap.* 17. habet, Anima quid sit? nondum inter Philosophos convenit, nec unquam fortasse conveniet. Adeo sc. Ens illud sibimet ignotum est, ut jure merito exclamaverit *Isidorus Lib.* 1. *de Summo Bono*: *O Homo, quid miraris Siderum altitudines, & profunditatem Maris? Animi tui abyssum intra, & mirare, si potes.* Cæterum inter ringentes de Animæ natura Philosophos, plerique illam in Cogitatione ponunt, alii in Facultate seu Potentia cogitandi, alii in Imagine Dei, immortalitate &c. aliis interim quod mirum est, animam

nam ipſam fingentibus corpoream. Ex quibus illi vero ſunt propiores qui eſſentiam Entis illius Deo ſimillimi inexplicabilem eſſe conitentur, dum interea cogitationem ceu actum ejus perpetuum & plane eſſentialem utique concipiunt. Qui verò Animam opinantur corpoream eſſe, videant quî ſub idea Corporis potentiam vel actum cogitandi comprehendant? quî Materiæ intellectum ac voluntatem, imaginem, inquam, Conditoris ſui competere percipiant? quî in Corpore fragili deſiderium æternitatis, agendi libertatem abſolutam &c. concipere valeant?

*Qu. 7. *Quænam ſunt eſſentiales Mentis Facultates?*

Reſp. Intellectus & Voluntas.

Intellectûs & *Voluntatis* beneficio Mens omnes ſuas actiones edit, in quarum jugi exercitio ipſa ſpiritualis vita conſiſtere intelligitur, ſecundum quod *Cicero Lib. I. de Offic.* dixit: *Hominis Mens diſcendo alitur & cogitando, ſemperq́ aliquid aut inquirit, aut agit, videndiq́ & audiendi delectatione ducitur.*

*Qu. 8. *Quid eſt Intellectus?*

Reſp. Eſt Facultas mentis res quaſvis cognoſcendi atque dijudicandi.

Intellectus à *Perceptione*, *Judicio*, *Diſcurſu* &c. id eſt, Mentis operationibus ipſis non aliter differt, niſi tanquam actus primus à ſecundo,

 ſiqui-

ſiquidem Intellectus ſub idea potentiæ cognoſcendi à nobis concipitur, Perceptio autem, Judicium, &c. ſub ideâ cogitationis & cognitionis actualis. Intellectus ille Hominem à Brutis diſtinguit, & ſupra hæc multis paraſangis extollit. Proprietates ejus memorabiles ſunt ampliſſima capacitas, agendi celeritas, inſatiabilitas, ſe conſervandi ſtudium, & plures aliæ quò magis mirabiles, eò Conditori ſummo Deo T. O. M. glorioſiores. Intellectus ſpeciatìm ad hos illos Homines conſideratus *Ingenium* vocatur, quocirca proverbium illud habetur: *Quot capita, tot ſenſus.* Ingenia in ſe & abſolutè conſiderata dicuntur nunc celeria, nunc tarda, nunc ſubtilia, nunc craſſa, docilia vel rudia, conſtantia vel varia, diligentia vel ignava, alacria vel triſtia &c. Relativè autem ad ſua objecta ſi ſpectentur, tunc ſunt vel theoretica vel practica, ſublimia vel abjecta, heroica vel retuſa, univerſalia vel particularia, ſuperba vel humilia, pia vel impia, urbana vel ruſtica, ut innumerabiles alias differentias omittamus.

* *Qu. 9: Quid eſt Voluntas?*

Reſp. Eſt Facultas mentis bonum à malo diſcernendi, illud amore, hoc odio conſtanter proſequendi.

Voluntas per *Facultatem* definitur, ideo ut ab actuali Mentis operatione (ſeu voluntate activa & determinata) tanquam actus primus à

ſecundo

ecundo distinguatur, velut idem superius de ntellectu monitum est. Tametsi autem Voıntas naturâ suâ Intellectu posterior non sit, rdine tamen illam huic succedere concipimus, quidem nonnisi præmissa cognitione volunıs ad objectum determinatur, juxta proverium: *Ignoti nulla cupido.* Proprietates huıanæ Voluntatis memorabiles sunt, liberè & ro arbitrio circa objecta versari, constanter vere bonum & fugere malum, nusquam in rrenis acquiescere, sed ex perpetuæ beatitudinis petitu in infinitum sua desideria extendere. contingat Mentem ad mala inclinare, & hæc norum vice ardenter appetere, id nonnisi rverso judicio sub specie boni malum aliquod ncipienti adscribendum venit. Voluntatem iqui distinxerunt à *Noluntate*, illam ceu delerium vel appetitum, hanc autem ceu fadium sive aversationem alicujus rei concindo.

Qu. 10. *Quod si Anima est in perpetuo actu, quomodo igitur iste generaliter vocatur?*

Resp. Cogitatio, meditatio, actio, eratio Mentis.

Actio mentis una est ac simplicissima, ipsa l. *Cogitatio*; quæ an sit perpetua, ac nunam, interrupta? an verò interdum requiesıs? inter Philosophos disputatur. Plerique rmativam prioris tenent, ideo quòd neque-

ant concipere Animam ſine cogitatione exiſtentem, utpote in quo actu ipſa ejus vita conſiſtere videatur. Alii à vero non alienum cenſent, quod Mens nonnunquam in ſomno ab actu cogitationis quieſcat, manente interim ejus vita & facultatibus, quæ cùm requie fuerint roboratæ, rurſus in actum concedant. Argumenta verò præcipua, quibus hi poſteriores innituntur, duo ſunt (1) Quòd ſi Anima in ſomno cogitaret, illam ſibi neceſſariò conſciam fore; at hoc oſtendi non poſſe, quin potius à quolibet contrarium deprehendi (2) Quòd ſi cogitaret in ſomno, illam expergefactam neceſſariò præteritorum fore memorem; at neque hoc obſervari ſolere unquam, ſicubi anima perfectum ſubiverit ſomnum; neque etiam ſuppetere rationem, cur illa omnium in ſomno cogitatorum ſemper obliviſci deberet? Ab his autem quærere oportet: *qualem igitur ideam habeant de Anima extra cogitationis actum verſante?* ſi dicant, ideam ſubſtantiæ habentis facultatem cogitandi, licet reipſa vel actu ſecundo non cogitantis, dicent, ſe habere ideam ſubſtantiæ, in quâ nihil ſubſtantiale, nullamque exiſtendi formam poſitivam concipiant, id eſt, ni fallor, chimæræ.

* *Qu.* II. *Quotnam vulgò ſpecies Operationum mentis conſtituuntur?*

Reſp. Quatuor: Perceptio, Judicium, Diſcurſus & Methodus.

In


In Cogitationibus essentiale discrimen poni vel concipi nullum potest, intelligimus tamen Mentem varios subire cogitandi modos. Hi à Philosophis ordine aliquo distinguuntur, quo sibi invicem succedere videntur; ita ut (1) dicatur Anima suum objectum contemplari, de eoque sibi ideas formare, qui modus cogitandi *Perceptio* nominatur. (2) Ideas duas pluresve invicem comparare, de iisque affirmando vel negando decernere, qui cogitandi modus *Judicium*. (3) Ex unitis aliquibus, & collatis judiciis nova deducere, seu ratiocinari, qui modus cogitandi *Discursus*, & (4) Discursus multos in unum colligere, ac ordine quàm convenientissimo disponere, quæ cogitandi ratio *Methodus* appellatur.

Qu. 12. *In quotnam igitur partes dividitur Logica?*

Resp. In quatuor Libros, quorum singuli respondent singulis Mentis operationibus.



ARS



ARS COGITANDI
EROTEMATICA.
LIBER PRIMUS
DE
PERCEPTIONE.



CAPUT PRIMUM
DE
PERCEPTIONE IN GENERE.

**Quæstio* 1. *Quid eſt Perceptio?*

Reſp. Eſt prima alicujus Rei conſideratio, quæ fit ſimplici contemplatione.

Perceptionis, quæ aliàs *Conceptus* vel *Intellectus ſimplex*, nonnunquam *Apprehenſio* vocatur, hæc eſt natura, ut datum objectum per partes ſucceſſivè contempletur, de eoque plures atque plures ideas paulatim ſibi efformet, uno eodemque tempore vix niſi unum capiens, juxta illud *Ariſtotelis: Nemo eodem tempore intelligit niſi unum.*

Qu. 2. *Quotuplex eſt Perceptio?*

Reſp. Duplex: interna & externa.

Qu. 3.

Qu. 3. *Quid est Perceptio interna?*

Resp. Ea, cùm Mens in seipsam convertitur, se suasque actiones intuetur ac sentit.

Animum sui ipsius compotem, vel actionum suarum naturaliter conscium esse, quilibet in semetipso experitur; ille autem ejus actus, quo in seipsum descendit, se contuetur, observatque, *Perceptio interna*, *Mentis reflexio*, *Intellectus reflexus* vocatur, cujus *Plato* in *Phædro* mentionem facit: *Animum*, inquiens, *nonnunquam à corporeis sensibus se subducere, & segregare, & apud se esse, ac tum purâ simpliciq; intellectione intelligere.*

Qu. 4. *Quid est Perceptio externa?*

Resp. Est Perceptio objectorum, quæ sunt extra mentem.

Ille actus, quo Mens ad res extra se existentes attentionem suam convertit, *Perceptio* vel *Intellectus externus* vocari solet; estque hic iterum vel *principalis*, quo Res ipsæ, vel *minus principalis*, quo rerum duntaxat nomina aut verba percipiuntur; item nunc *proprius*, cùm entia realia, nunc *improprius*, cùm entia tantùm rationis, seu figmenta concipiuntur. Perceptio, quâ res corporeæ, ut numeri, figuræ, magnitudines &c. intelliguntur, speciatim *Imaginatio* appellatur.

Qu. 5. Quotuplex est objectum Perceptionis?

Resp. Duplex: immediatum & mediatum.

Cogitationis objectum aliud *Menti proximè conjunctum*, aliud *remotum* existit, ex. gr. si *de Sole* cogitem, *Sol* tanquam sidus cœleste est remotum, sed idea quam de illo concepi, est proximum Perceptionis meæ objectum; illud alioquî *mediatum*, hoc *immediatum dicitur*.



CAPUT SECUNDUM

DE

IDEIS IN GENERE.

* *Qu. 1. Quomodo vocatur immediatum Perceptionis objectum?*

Resp. Idea.

**Qu. 2. Quid est Idea?*

Resp. Est alicujus objecti repræsentamen Animo immediatè obversans.

Medium per quod res extra mentem positæ ei manifestantur, sunt *Ideæ* qualescunque, seu *repræsentamina objectorum*, sine quibus nihil omninò intelligi, aut animo comprehendi potest.

teſt. Unde alii ideam deſcripſerunt: quòd ſit *Mentis objectum immediatum*, ſeu id, *quod Menti immediatè obverſatur: alii*, quòd ſit *Res ipſa cogitata, prout objectivè in intellectu* : *alii*, quòd ſit *Forma cujuslibet cogitationis, per cujus immediatam apprehenſionem ipſius ejuſdem cogitationis ſimus conſcii.* Omnium optimè illuſtrabitur Definitio noſtra; ſi dicamus, Ideam in mente idem eſſe, quod imago alicujus corporis in ſpeculo; quemadmodum enim v. gr. Hominis cujuſdam facies in ſpeculo repræſentatur per imaginem, ſic in Animo per ideam.

Qu. 3. Quotuplex eſt Idearum origo?

Reſp. Duplex: Aliæ ex puro Intellectu, aliæ ex Senſibus oriuntur.

Organa Senſuum noſtrorum eſſe totidem inſtrumenta vel oſtia, rerum corporearum impreſſionibus ad mentem tranſmittendis aperta, probatione non indiget, cum in ſe ipſo quivis id experiatur. An autem in univerſum omnes Ideæ ex Senſationibus oriantur? inter Philoſophos controvertitur. Plurimis illud Ariſtotelis arridet: ὐκ ἔιναι νοεῖν ἄνευ φαντασμάτων, hoc eſt, *Nihil eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu*; adeo ut, ſi Homo omnibus careret ſenſibus, etiam ejus Mens ideis in totum deſtituta foret. De his autem mirari ſubit, quòd Mentem eò uſque Corpori ſubjectam fingant, ut ſine hujus miniſterio ne quidem cogitare poſſe ipſis videatur. Quærendum itaque venit: *Num Anima gaudeat abſolutâ cogitandi facultate,*

cultate, nec ne? Si affirmativè respondeant, ergo nulla est Sensuum necessitas absoluta ad excitandas ideas: si negativè, eos ex S. S. in mentem revocare velim, Animam hominis esse ad imaginem Dei creatam, ipsique igitur cogitandi facultatem absolutissimam denegare velle, non minus iniquum fore, quam Sacræ Scripturæ fidem derogare. Idcirco nos tantisper duplicem idearum originem stabiliemus, alias vid. ex puro intellectu, alias ex sensibus derivando; quarum illæ aliàs *intellectuales*, hæ autem *sensuales* vel *sensitivæ* vocantur.

Qu. 4. *Quot sunt Fontes Idearum sensualium?*

Resp. Quinque: Visus, Auditus, Gustus, Olfactus & Tactus.

Per Visum ad Mentem ingrediuntur ideæ colorum, luminis, figurarum, numerorum, magnitudinis, &c. Per Auditum ideæ sonorum, vocum, &c. per Gustum ideæ saporum, dulcedinis, aciditatis, amaroris &c. per Olfactum ideæ odorum, fragrantiæ, fœtoris, &c. Denique per Tactum ideæ caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, duritiei, mollitiei, doloris &c. Quibus autem volupe est disputare, *quinam ex istis Idearum fontibus sit amplissimus?* pro Visu vel Auditu acriter decertando inutilem ferè agunt operam.

Qu. 5. *Quandonam Anima incipit cogitare?*

Resp. Primo existentiæ suæ momento.

Cùm

Cùm ipſa Animæ vita in actu Cogitationis ſita eſſe intelligatur, extra dubium erit, illam primo ſuæ exiſtentiæ momento meditari. *Sed utrum Anima habeat Ideas innatas? (an quibuſdam notionibus inſtructa à Deo creetur?) an verò ſecus?* inter Philoſophos controvertitur. *Ariſtoteles* negativam aſſerturus illam tabulæ cuidam raſæ comparavit, in quâ primitùs quidem nihil ſit pictum, ſed poſtliminiò ſucceſſivè rerum imagines inſculpantur, ac in infinitum propagentur; cum eoque in eandem ſententiam deſcendunt plerique iſtius ſeculi veritatis amantiores, aliquibus ſaltem hoc malè interpretantibus, ſi Mens omni notionum apparatu vacua à Deo creari concipiatur, qui proin cenſent nobiliores quaſdam ideas, de Deo, de ſeipſo, de bono & malo &c. ei naturaliter implantatas exiſtere. Sufficiat nobis cognoviſſe, Deum omnipotentem Hominis mentem ad Imaginem ſui condidiſſe, eamque facultate intelligendi ampliſſimâ, & mediis quàm ſaluberrimis ita inſtruxiſſe, ut ſponte primò ad ſui ipſius, tunc Numinis Divini, dein cæterarum quoque rerum notitiam adſpirare valeret. Qui probant Animam primo ſuæ exiſtentiæ momento cogitare, & vel de Deo, vel de ſeipſâ aliquid ruminari, tantum abeſt, ut Ideas innatas demonſtrent, ut potius oſtendant, ſe ſtatum quæſtionis ignorare, illasque naſcentes cum innatis confundere.

Qu. 6.

Qu.6. Quid circa Idearum ſenſualium Fontes notandum?

Reſp. Illos Animæ multorum errorum materiam præbere.

Senſationes Homini ad vitæ ſuæ commodum potius, quàm ad curioſam rerum hujus Mundi corporearum inveſtigationem datas eſſe dubio caret; quòd enim in multis caligent illæ, ac in objectorum cortice tantùm detentæ ſubtiliora pleraque prætermittant, facilè cuivis apparere poteſt. *An autem Senſus aliquando nos fallant?* aut *an ipſi decipiantur?* inter Philoſophos ambigitur; Quocirca notandum, ſenſus corporeos, id eſt, organorum functiones aut motus, ſecundum leges mechanices ſtrictiſſimas à Deo ſibi præſcriptas contingere, in eosque proin errorem nullum cadere, cùm à cauſis neceſſariis mechanicè moveantur. *Igitur Senſus corporei non falluntur, an ergo fallant?* ſupereſt dubitatio; hæc ut auferatur, conſiderandum eſt, Deum procul dubio leges poſuiſſe, ſecundum quas organa mentem moverent, quæ proin cùm ſint inviolabiles, ſequitur etiam motus organorum Menti imponere non poſſe, ſed eam ipſam propriâ culpâ ægrotare, ſi quando à ſenſibus corporeis decepta videatur. Genuina igitur Errorum cauſa, qui vulgò ex ſenſibus tanquam occaſionali objecto proficiſci dicuntur, eſt ipſa Mentis in judicando præcipitantia, & abuſus ſenſationum ab infantia contractus, ubi arctiſſimos illarum limites paſſim tranſcendere conſuevimus.

Qu. 7.

Qu. 7. *Quinam ex Erroribus occasione sensuum obortis gravissimi sunt?*

Resp. Illi, quos Animi passiones causantur.

Affectus Animi sunt hujus dispositiones ad aliquem scopum non sine impetu inclinantes, quæ si rationi obtemperent, vigorem actionibus Hominum conciliant, illasque utique gloriosas reddunt; si verò opinioni (falso judicio) pareant, prout illos hoc loco intelligimus, tum perditissimi virtutis & veritatis corruptores, seu ipsissimæ vitiorum matrices evadunt, ut experientia tristis quotidiana docet, & uno ore omnes Philosophi confitentur. *Quis autem animo complecti, vel oratione prosequi posset immensam ex inepto amore, odio, favore, invidia, ira, metu, cæterisq; passionibus pravis contractam errorum scaturiginem, cui ab incunabulis quasi Mortalium mentes innutriuntur?*

Qu. 8. *Quænam sunt Passionum animi causæ?*

Resp. Præjudicia vel opiniones.

Opiniones nihil sunt aliud, quam Judicia à recto rationis dictamine aliena, quæ cum plerumque veritatis aliquam speciem præ se ferant, gravissimè animos abducunt. Eorum origo cunctis hominibus est communis, sc. sensuum abusus, mala educatio, rudis institutio, popula-

ris converſatio, & ejuſmodi plures cauſæ, vix ac ne vix quidem per iſtam Mortalium conditionem evitabiles.



CAPUT TERTIUM

DE

SIGNIS IDEARUM.

Qu. I. *Quænam ab hominibus ſunt conſtituta Idearum ſigna?*

Reſp. Sermo atque nomina rerum.

Ut humana ſocietas conſtaret, neceſſum erat Mentes commercium aliquod inter ſe mutuum exercere, quod ut fieret commodè, oppidò Deus T. O. M. loquelam & auditum mortalibus impertiit, quò ſic ideas animi ſui vocibus alligatas invicem proferre, atque mutuò cogitata ſua intelligere poſſent. Igitur nomina rerum & verba, nec non ipſe vultus geſtuſque ſunt totidem ipſius Animi interpretes, quibus mortalium communio vel ſocialitas exercetur. Atque adeo quidem Ideæ vocibus ſunt alligatæ, ut etiam Animus cum ſemetipſo agens tacitè velut rerum, de quibus cogitat, nomina verſetur.

Qu. 2. *Quis determinavit ſignificationes Vocum?*

Reſp. Homines pro ſuo arbitrio.

Defi-

Definitiones nominum contradicente nemine ſunt ad lubitum cujuſcunque, juxta proverbium illud: *Optimus interpres verborum quiſque ſuorum*; & quemadmodum primi Linguarum inventores hauddubiè vocum ſignificationes ex arbitrio ſuo determinarunt, ità cuivis etiamnum licet qualeſcunque verbis ideas conſociare, ſi è re ſua & proximi illud fore exiſtimârit.

Qu. 3. *Quomodo aliàs Nomina rerum à Logicis vocantur?*

Reſp. Termini.

Qu. 4. *Quotnam differentiæ Terminorum apud Logicos ſunt notabiles?*

Reſp. Quatuor præſertim:

(1) Alii ſunt abſtracti, alii concreti.
(2) Alii ſynonymi, alii homonymi.
(3) Alii plani, alii æquivoci.
(4) Alii ſimplices, alii complexi.

Innumerabiles alias, quæ apud veteres Logicos reperire datur, ob inutilitatem conſultò omittemus.

Qu. 5. *Quid eſt Terminus abſtractus?*

Reſp. Qui attributum à ſubjecto ſuo ſeorſim ſignificat. Ut *pietas*, *prudentia*, *ſinceritas*, *&c.*

Qu. 6. *Quid concretus?*

Resp. Qui attributum unà cum subjecto suo significat. Ut *pius*, *prudens*, *sincerus* &c. sc. *homo*.

Qu. 7. *Quid sunt Termini synonymi?*

Resp. Qui rem unam eandemque significant. Ut *ensis* & *gladius*.

Termini synonymi sunt vel in una eademque lingua, ut modo positi; vel in diversâ, ut *Homo* & Μικρόκοσμος.

Qu. 8. *Quid est Terminus homonymus?*

Resp. Qui res plures diversas significat. Ut *uasus*, *cancer*, *vulpes*, &c.

Qu. 9. *Quid est Terminus planus?*

Resp. Qui distinctam habet significationem. Ut *homo*, *lapis*, *planta*, &c.

Hi termini respondent Ideis claris atque distinctis.

Qu. 10. *Quid æquivocus?*

Resp. Qui ambiguam & minus determinatam significationem habet. Ut *princeps philosophorum*, *optimus regum*, &c.

Hi respondent Ideis obscuris & confusis.

Qu. 11.

Qu. 11. *Quid est Terminus simplex?*

Resp. Qui rem aliquam sub una idea & voce significat. Ut *homo*, *anima*, *corpus*, &c.

Qu. 12. *Quid complexus?*

Resp. Qui rem aliquam sub pluribus ideis & verbis significat. Ut *Homo ad imaginem Dei creatus*, *Anima immortalis*, &c.

Qu. 13. *Quotuplices sunt Termini complexi?*

Resp. Duplices: nunc sensu tantùm, nunc verbis simul.

Qu. 14. *Quid est Terminus sensu complexus?*

Resp. Cujus complexio verbis non exprimitur. Ut *Philosophus* κατ' ἐξοχὴν *sic dictus*, *putà Aristoteles*, *Rex putà noster*, *Papa sc. hodiernus*, &c.

Qu. 15. *Quid est Terminus verbis complexus?*

Resp. Qui plures ideas continet verbis expressas. Ut *philosophus græciæ Aristoteles*, *rex galliæ Ludovicus XIV.* &c.

Complexio expressa nunc fit cum pronomine relativo, velut si dicam: *Deus qui mundum gubernat*; nunc sine illo, velut *Deus mundum gubernans*. Porrò *Terminus complexus* nunc est *explicativus*, ubi voces adjectæ explicant Terminum primarium, ex. gr. *Logica, quæ est medicina mentis*; nunc *determinativus*, ubi termini secundarii determinant primarium quoad aliquas circumstantias, putà temporis, personæ, loci &c. ex. gr. *Rex galliæ nunc vivens*, *Pax ultima inita*, & ejusmodi.



CAPUT QUARTUM

DE

DIFFERENTIIS IDEARUM ABSOLUTIS.

Qu. 1. *Quotuplices sunt Idearum differentiæ?*

Resp. Duplices: absolutæ & relatæ.

Qu. 2. *Quot sunt differentiæ Idearum absolutæ?*

Resp. Quatuor præsertim:

(1) Aliæ sunt simplices, aliæ compositæ.

(2) Aliæ perfectæ, aliæ imperfectæ.

(3) Aliæ

(3) Aliæ claræ, aliæ obſcuræ.
(4) Aliæ diſtinctæ, aliæ confuſæ.

*Qu. 3. *Quid eſt Idea ſimplex?*

Reſp. In qua nullæ partes diſtingui poſſunt. Ut eſt *idea Dei, angeli, animæ, unitatis, doloris, caloris &c.*

Circa Ideas ſimplices notandum, eas compoſitis & perfectiores & evidentiores exiſtere, eaquepropter faciliùs ac tutiùs de iis judicari, quàm de compoſitis quibuſcunque; neque enim hæ claritatem habebunt, niſi ex ſimplicibus tanquam ſui partibus illam mutuaverint.

*Qu. 4. *Quid compoſita?*

Reſp. Quæ in plures ſimplices reſolvi poteſt. Ut idea *philoſophi, regis, tyranni, &c.*

Idea Philoſophi continet ideas hominis & philoſophiæ invicem junctas; *Idea Regis* ideas principis & imperii ad ipſum ſpectantis; *Idea Tyranni* ideas regis & crudelitatis in ipſo regnantis. Cæterùm Ideæ aliæ aliis magis minusvé ſunt compoſitæ, & quæ plurimum ſunt amplæ, etiam cæteris obſcuriores magisque confuſæ videntur.

*Qu. 5. *Quid eſt Idea perfecta?*

Reſp. Quæ ſuum objectum ex toto repræſentat. Ut *idea unitatis.*

Ideæ perfectæ aliàs *adæquatæ* vocantur, quod epitheton propemodum folæ fibi vendicant ideæ fimpliciffimæ, *unitatis*, *numeri*, *puncti &c.* cùm non fit difficile oftendere, ex innumerabilibus noftræ Mentis ideis longè pauciffimas aliquâ perfectione gaudere.

Qu. 6. Quid imperfecta?

Refp. Quæ fuum objectum non ex toto repræfentat. Ut idea *horologii*, *exercitûs*, *urbis*, *arboris*, *fylvæ*, *libri*, &c.

Ideæ imperfectæ aliàs *inadæquatæ* vocantur; tali epitheto dignæ funt præfertim Ideæ univerfales, compofitæ, obfcuræ, &c. quibus fc. ægrè objectum quoad omnes fui partes fignificatur.

Qu. 7. Quid eft Idea clara?

Refp. Quæ fuum objectum vividè & evidenter repræfentat. Ut idea *puncti*, *lineæ*, *anguli*, *numeri* 2. 3. 4.

Quemadmodum Picturæ nunc vividam rei fignificatæ imaginem exhibent, nunc verò obfcuram & tenebricofam, fic etiam Ideæ fua objecta magis minusvé evidenter aut perfpicuè fignificant, eoque ipfo nunc *claræ*, nunc *obfcuræ* dicuntur.

*Qu. 8. *Quid obscura?*

Resp. Quæ suum objectum obscurè repræsentat. Ut *idea Spectri*, *Naturæ*, *&c.*

Obscuritatis accusandæ sunt Ideæ quàmplurimæ in Libris veterum Scholasticorum sub terminis nebulosis occurrentes, ex. gr. *Sympathiæ*, *Antipathiæ*, *occultarum Qualitatum*, & ejusmodi, quæ cùm ab *Illustri Cartesio* sapienter & magno cum studiorum emolumento abrogata sint, idcirco immortales ipsi cum publico gratias debemus.

*Qu. 9. *Quid est Idea distincta?*

Resp. Quæ objecti partes distinctè repræsentat. Ut idea *numeri* 3. 4. 5. *trianguli*, *quadranguli*, &c.

Cùm Idea quædam distincta dicitur, supponimus illam esse compositam, quia in simplicem eò quòd partibus careat nulla propriè cadit distinctio. *Composita* autem *Idea* tunc nominatur *distincta*, si ex simplicibus claris distinctè ab invicem separabilibus coaluerit, velut ex ideis claris linearum & angulorum nascitur idèa composita atque distincta Trianguli, Quadrati, &c.

*Qu. 10. *Quid confusa?*

Resp. Quæ objecti partes confusè repræsentat. Ut idea *Turmæ hominum*,

Acervæ formicarum, *congeriei Apum*; &c.

Quantos pariant errores Ideæ obſcuræ & confuſæ dici vix poteſt. Exempla illuſtriora vid. in *Art. Cog. Cap. VIII. & ſeqq.*



CAPUT QUINTUM

DE

DIFFERENTIIS IDEARUM RELATIS.

Qu. I. *Quotnam ſunt differentiæ Idearum relatæ?*

Reſp. Tres præſertim:

(1) Aliæ ſunt reales, aliæ fictitiæ.
(2) Aliæ determinatæ, aliæ vagæ.
(3) Aliæ univerſales, aliæ particulares, aliæ ſingulares.

**Qu.* 2. *Quid eſt Idea realis?*

Reſp. Quæ rem aliquam exiſtentem menti repræſentat. Ut idea *Dei, Cæli, Terræ*, &c.

Ideæ reales aliæ ſunt *ſubſtantiarum*, ut idea Hominis, aliæ *attributorum*, ut idea pulchritudinis &c. Utrumque genus in inferiores alias

ias species secundum ordinem Categoriarum bdividi potest.

* *Qu.* 3. *Quid fictitia?*

Resp. Quæ ens rationis repræsentat. 't idea *nihili*, *montis aurei*, *lapidis philosophorum*, &c.

Entia à Metaphysicis distinguuntur in *realia*, *entia rationis*; illa dicuntur, quæ in mundo vera existunt, ut Cœlum, Stellæ, Animalia, antæ, &c. hæc autem, quæ etsi nusquam in-:niantur, à Mente tamen finguntur, ac si ex-:entiam haberent, vel saltem habere possent, : Mons aureus, Insula beatorum, Panacea, apis philosophorum, & ejusmodi. Notan-ım verò illas Ideas fictitias, quæ per [entis abstractionem concipiuntur, eum in fi-:m ut aliquod objectum compositum par-culatim exploretur, minimè inutiles, quin otius absolutè necessarias esse, si illud solidè exquisitè debeant pervestigari. Sic Mathe-ıatici non sine usu considerant puncta, lineas, ıperficies in abstracto, antequam solida in oncreto rimentur.

* *Qu.* 4. *Quid est Idea determinata?*

Resp. Quæ determinatum aliquod bjectum repræsentat. Velut idea *Aristotelis*, *Platonis*, *Pythagoræ* &c.

Tribus præsertim modis Idea determinari olet, (1) *Nomine proprio*, ut Alexander magnus

gnus (2) *Pronomine demonstrativo*, ut hic Homo, hic Liber, &c. (3) *Periphrasi* sive *circumscriptione*, ut Philosophus peripateticus, Apostolus gentium, &c.

Qu. 5. *Quid Idea vaga?*

Resp. Quæ non ad certum objectum determinatur. Ut idea *cujusdam Philosophi, Principis* &c.

Qu. 6. *Quid est Idea universalis?*

Resp. Quæ plurima simul objecta menti repræsentat. Ut idea *Entis, Substantiæ, Spiritûs, Corporis, Animalis, Plantæ* &c.

Ex ideis universalibus aliæ magis, aliæ minus extensæ sunt, secundum seriem Generum, quæ sibi invicem subordinantur. *Vid. Locus de Categoriis.*

Qu. 7. *Quid particularis?*

Resp. Quæ aliqua tantum objecta repræsentat. Ut idea *quorundam Hominum, Regum, Imperatorum* &c.

Qu. 8. *Quid singularis?*

Resp. Quæ rem unam & individualem significat. Ut idea *Davidis, Salomonis* &c.



CAPUT SEXTUM

DE

UINQUE IDEIS UNIVERSALIBUS VETERUM LOGICORUM.

Qu. 1. *Quotnam Ideæ universales statuebantur à veteribus Logicis?*

Reſp. Quinque: Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.

Iſtæ aliàs à Logicis *Prædicabilia* vel *Univer-ſia* vocantur, eo quòd de pluribus dici vel ædicari ſoleant. *Idea Generis* & *Speciei* reondet quæſtioni: *Quid res ſit?* reliquæ poriores autem quæſtioni: *Qualis res ſit?* Ex. . ſi quæritur: Quid ſit Homo? reſpondet ea generis, quòd ſit animal; & idea ſpeciei, ıòd ſit mas, vel fœmina. Si verò interrogar: Qualis ſit Homo? reſpondet idea Diffentiæ, quòd ſit rationalis; tùm idea Proprii, ıòd ſit loquens; poſtremò ideæ accidentium, ıòd ſit pius, doctus, dives &c. Cæterùm etſi ıamplurima de iſtis Prædicabilibus diſſerueıt Peripatetici, ea tamen majorem partem utilia videntur, & ſalvo rationis uſu præteriri ıſſunt.

Qu. 2.

Qu. 2. Quid est Genus?

Resp. Idea res universales unâ communi imagine repræsentans. Ut *Ens, Substantia, Corpus, Animal, Planta* &c.

Qu. 3. Quotuplex est Genus?

Resp. Duplex: summum sive generalissimum, & medium sive subalternum.

Idea Generis nunc *generalissima* est, ac omnium suprema, ut *idea Entis;* nunc ei *subordinata* vel *inferior*, magis minusvé remota, quoque remotior eò minus generalis; sic enim ordine quodam subordinantur ideæ Substantiæ, Spiritûs, Corporis, Animalis, Hominis, Plantæ &c. quarum singulæ respectu superioris *subordinatæ*, aliàs promiscuè *Genera* vel *Species subalternæ* vocantur. Ex. gr. Animal respectu Corporis species, at respectu Hominis genus appellatur.

Qu. 4. Quid est Species?

Resp. Idea res plurimas sub una communi imagine repræsentans., sed Genere inferior. Ut *Homo, Simia, Canis,* &c.

Qu. 5. Quotuplex est Species?

Resp. Duplex: infima seu specialissima, & media sive subalterna.

Speciem & *Genus ſubalternum* non differre paulò ſuperius dictum eſt, cùm eadem Idea generalis diverſo reſpectu ad ſuperiorem aliam vel inferiorem, nunc Genus, nunc Species appellari ſoleat. Ex. gr. Planta reſpectu Corporis viventis ſpecies, ſed reſpectu Arboris genus; Animal reſpectu Corporis ſpecies, ſed reſpectu Hominis aut Bruti genus dicitur.

Qu. 6, *Quid eſt Differentia?*

Reſp. Idea rem unam ab aliâ diſtinguens.

Ex. gr. Hominem à Bruto animali diſtinguit idea rationalitatis, quæ cum illi competat, nón item huic, idcirco Differentia appellatur.

**Qu.* 7. *Quotuplex eſt Differentia?*

Reſp. Duplex: eſſentialis & accidentalis.

Qu. 8. *Quid eſt Differentia eſſentialis?*

Reſp. Quæ res diſtinguit attributis eſſentialibus.

Si Genus duas ſub ſe ſpecies complectatur, neceſſariò ambarum ideæ aliquid includunt, non contentum in idea Generis; jam illud ipſum ſi fuerit attributum eſſentiale ſpeciei, non reperiundum in genere, conſtituit *Differentiam eſſentialem*, & genus in ſpecies diſpeſcit. Ex. gr. Subſtantia duas admittit ſpecies, Spiritum & Corpus, illius idea cogitationem,

hujus autem idea extensionem necessariò includit, quarum neutra in idea generali substantiæ continetur, ut proiude Differentiam essentialem inter Spiritum & Corpus efficere dicantur. Cæterum Differentia essentialis nunc ab uno aliquo attributo, nunc à pluribus simul sumptis derivatur; sed qualicunque modo se habeat, semper cum specie sua reciprocatur, velut extensio cum Corpore, rationalitas cum Homine, cogitatio cum Spiritibus, & sic porrò.

Qu. 9. Quid accidentalis?

Resp. Quæ res distinguit attributis accidentalibus.

Si inter res duas vel plures concipiatur Differentia, in attributo uno vel pluribus accidentalibus sita, hæc *accidentalis* vocatur; quemadmodum ex. gr. unus Homo ab alio discrepat staturâ, vultu, robore, ætate, ingenio, formâ &c. Corpus unum ab alio magnitudine, figura, situ, motu, duritie, mollitie, colore, & sic porrò.

Qu. 10. Quid est Proprium, sive Proprietas?

Resp. Attributum rei, quod ab essen tia ejus immediatè fluit.

Quod vulgò Logici termino connotativo *Proprii* designant, nonnihil melius exprimi videtur per substantivum *Proprietatis*; quo quidem

n nomine donantur illa Attributa, quæ etsi ;ntiam rei non constituant, ab ea tamen im- :diatè, & inseparabiliter dependent. Ex. gr. ırporis essentia in extensione consistit, ab hac mediatè fluunt divisibilitas, soliditas, impe- trabilitas, mobilitas &c. tanquam totidem ırporis proprietates. Porrò essentia Homi- ; consistit in unione Animæ cum Corpore imali, ex quâ fluit sensibilitas, loquendi ultas, &c. velut totidem hominis pro- etates.

Qu. 11. *Quotnam vulgò species Proprietatis apud Logicos recensentur?*

Resp. Quatuor:

(1) Proprietas, quæ speciei cuidam omni soli & semper competit.

Ita *Sensibilitas*, *loquendi facultas* &c. omni- s Hominum individuis & solis & semper ıcessa est; sic Corporibus identidem solidi- , impenetrabilitas, mobilitas, divisibilitas &c. ıi luciditas, calor, Aëri sonus, Gallo cantus, ni latratus, Equo hinnitus &c. Cæterùm hæc cies proprietatis sola locum inter prædica- a habet, cùm cæteræ hîc subjunctæ ad *Ac- ntia* rejiciantur.

(2) Quæ speciei cuidam omni, sed non soli competit.

 Ita

Ita somnus cunctis Hominibus sed non solis concessus est.

(3) Quæ speciei cuidam soli, sed non omni competit.

Ita soli speciei Hominum convenit esse Regem, Ducem, Militem, Philosophum, Medicum &c. sed non omnibus ejus individuis.

(4) Quæ speciei cuidam omni & soli sed non semper competit.

Sic loquela articulata omnibus Hominibus, & solis, sed non semper concessa est.

Qu. 12. *Quid est Accidens?*

Resp. Est attributum contingenter substantiæ cuidam inhærens. Ut *Formositas homini, Color parieti, Figura ligno.*

Attributum dicitur, quòd sit modus essendi ipsius substantiæ, hanc sc. aliqua ratione determinans, licet nihilominus separatim existere aut concipi possit. Unde ab *Aristotelicis* definitum est *Accidens, quod abest & adest sine subjecti interitu*, sive *quod sine contradictione de subjecto suo affirmari & negari potest.*

Qu. 13. *Quotuplex est Accidens?*

Resp. Duplex: separabile & inseparabile.

Separabile dicitur, quod ex naturalibus causis à subjecto suo removeri potest, ut sanitas, formositas,&c. ab homine, calor ab aqua, color ex pariete &c. *Inseparabile* autem, quod naturaliter

uraliter à substantia sua separari nequit, etsi cogitatione seorsim ab illa concipi valeat; ut est albedo in nive, nigror in corvo, motus in sole, & ejusmodi.

CAPUT SEPTIMUM
DE
OBJECTO PERCEPTIONIS MEDIATO SIVE REMOTO.

Qu. 1. *Quodnam est Perceptionis objectum externum?

Resp. Sunt res ipsæ de quibus cogitamus.

Qu. 2. *Quomodo illæ apud Logicos vocantur?

Resp. Themata simplicia.

Themata dicuntur ἀπὸ τοῦ τίθημι, pono, eò quòd sint res, vel objecta cogitationi proposita. Distinguuntur *Themata* apud Logicos in simplicia & *complexa*, illa rursus in *universalia*, *particularia* & *singularia*; hæc postrema ulteriùs in *determinata* & *vaga*. At quoniam hæc ex doctrina de Ideis jam satis elucescunt, idcircò hic prætermittuntur.

Qu. 3. *Quotnam modis considerantur Themata illa?

Resp. Duobus modis: vel absolutè & seorsim, vel relatè ad se invicem.

*Qu. 4. *Quomodo dividuntur Themata in se spectata?*

Resp. In varia genera vel classes, quae vulgò categoriae seu praedicamenta vocantur.

*Qu. 5. *Quotnam Categoriae ab Aristotele numeratae sunt?*

Resp. Decem: substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs & habitus.

Veteres de eo, quod cognoscendum erat, sequentes ordine Quaestiones percurrebant: (1) Quid esset? (2) Quantum? (3) Quale? (4) Ad quid referretur? (5) Quid ageret? (6) Quid pateretur? (7) Ubi esset? (8) Quando? (9) Quomodo situm? ac (10) Quid haberet adjunctum? Quibus scil. quaestionibus respondent totidem praedicamenta. In eaque res perquirendi aut pertractandi methodo magnam & authoritatem & mysterium posuerunt in universum Peripatetici; cùm tamen facile appareat, ordinem illum ac numerum merè arbitrarium esse, & pro lubitu augeri vel minui posse. Ut taceam divisionem istam vitiis laborare, & pusillae utilitatis existere.

*Qu. 6. *Quomodo recentiores Logici res hujus mundi distingunt?*

Resp. In substantias & attributa.

In divisione rerum hujus mundi incipiendum est à Generibus summis, gradatim descendendo

ndo ad inferiora, tandem cum infimis abvendo.

*Qu. 7. *Quid est Substantia?*

Resp. Est ens per se subsistens. Ut *lum, terra,* &c.

Illud Ens, quod concipitur seorsim existere aliis, & esse subjectum aliorum, ea in se reiendo, *Substantia* à Logicis vocatur, Germ. selbsbeständiges Ding. Aliis definitur *reale, quod alii tanquam subjecto inhæsionis inexistat;* vel *quod nullius Creaturæ egeat, ut per illam & in illa existat.* Circa nostram finitionem notandum, quod illa verba *per se sistere* duplici sensu accipi possint, vel quanus aliqua res est absolutè independens à quaunque causa procreante vel conservante, o sensu revera nonnisi solus Deus per se subit; vel quatenus aliqua res, suis utcunque ligens causis, tamen ab illis separatim exire concipitur, aut saltem illis tanquam subto non inhæret; quâ significatione pollent rba in definitione collocata.

*Qu. 8. *Quomodo dividuntur Substantiæ hujus mundi?*

Resp. In Spiritus & Corpora.

*Qu. 9. *Quid est Spiritus?*

Resp. Ens intellectu & voluntate prædum.

Spiritus aliàs *Mentes, Animæ, Substantiæ cogitantes, Substantiæ immateriales* vocantur, quan essentiales proprietates duæ sunt *Intellectus*

& *Voluntas*, quibus ipſa Spiritûs idea abſolvitur.

**Qu.* 10. *Quotuplices ſunt Spiritus?*

Reſp. Duplices: infiniti & finiti.

**Qu.* 11. *Quid eſt Spiritus infinitus?*

Reſp. Qui à ſeipſo eſt, & ab æterno. Ut *ſolus triunus Deus.*

Deus infinitus dicitur, ideo quod ſit ab æterno, & omnes habeat perfectiones, *potentiæ, ſapientiæ, ſanctitatis, juſtitiæ, clementiæ* &c. in quibus prædicandis Homo nullum aſſequitur finem.

**Qu.* 12. *Quid ſunt Spiritus finiti?*

Reſp. Qui à Deo creati ſunt. Ut *Angeli, Mentes humanæ, &c.*

Finiti dicuntur ideo quod non ſint ab æterno, & à Deo dependeant, tanquam ejus creaturæ.

**Qu.* 13. *Quomodo ſubdividuntur Spiritus finiti?*

Reſp. In Angelos & Animas.

Angeli ſunt Spiritus ab omni corpore liberi & ſejuncti, ut *Angeli cœli; Animæ* autem vocantur Spiritus cum vivente aliquo Corpore naturaliter conjuncti, ut *Mentes humanæ.*

**Qu.* 14. *Quid eſt Corpus?*

Reſp. Subſtantia in longum latum & profundum extenſa. Ut *lapis, arbor, &c.*

Corporis eſſentia vel natura in extenſione con-

ıſiſtit, ex qua fluunt ejus proprietates, ſo-
.taş, impenetrabilitas, diviſibilitas, mobili-
, &c. omni ſc. corpori, ſoli, & ſemper con-
ıientes.

* *Qu.* 15. *Quotuplicia ſunt Corpora?*

Reſp. Duplicia: animata & inani-
ata.

Animata ſeu *viventia* dicuntur Corpora or-
ıica, motu interno & nutritione prædita;
ıdividuntur in *Plantas* & *Animalia*, hæc ite-
n in *rationalia* & *irrationalia*, ſicque ulterius.
nimata autem vocantur, quæ organico ap-
atu, & motu interno nutritioneque carent,
Metalla, *Lapides*.



CAPUT OCTAVUM
DE
ATTRIBUTIS SUBSTANTIARUM IN GENERE.

* *Qu.* 1. *Quid eſt Attributum?*

Reſp. Quicquid alicui rei ineſt, ac de
dici poteſt.

Quicquid alicui ſubſtantiæ tanquam ſubjecto
:xiſtere concipitur, ita ut illam certo afficiat
ɔdo, ut ſit talis vel talis, tanta vel tanta, &c.
ıd omne *attributi* vel *modi* nomine compre-
nditur. Ex. gr. *Solem* concipio per ſe exi-
re, eſt ergo *ſubſtantia*, in ſole concipio ineſſe

tanquam in subjecto magnitudinem, rotunditatem, calorem, lucem &c. hæc igitur ejus sunt *attributa.*

***Qu. 2.** *Quænam est proprietas Attributi?*

Resp. Subjecto cuidam inhærere, neque extra illud existere posse.

Ex. gr. magnitudo, figura, motus, calor, frigus, colores &c. existere nequeunt nisi in Corpore aliquo, tanquam sui receptore vel subjecto inhæsionis; pietas, formositas, sanitas &c. nulla absque Homine, qui illas possideat virtutes, & sic porro. Animadvertendum tamen circa Spiritus, quod illorum attributa vix ac ne vix quidem ab essentia eorundem ipsa conceptu nostro distinguere valeamus, utpote qui de spiritualibus plurimum cæcutire solet. Ex. gr. Cogitatio, quæ Mentium est attributum, ab earundem natura vel essentia distingui nequit, ut potius sola cogitationis notio ideam Animæ absolvat. Unde etiam *Theologi* asserunt: *In Deo nihil esse, nisi quod sit ipse Deus.*

Qu. 3. *Quotnam differentiæ Attributorum apud Logicos notantur?*

Resp. Tres præcipuè:

(1) Alia sunt essentialia, alia accidentalia.

(2) Alia positiva, alia negativa.

(3) Alia abstracta, alia concreta.

Aristotelici modos distinguunt quadrifariàm, in-

nodos fiendi, essendi, existendi, & operandi; de ibus videantur illorum *Systemata*.

***Qu*.4. *Quid est Attributum essentiale?*

Resp. Quod alicui substantiæ essenliter inhæret. Ut *cogitatio animæ*, *ex-sio corpori*, *&c.*

Essentialiter inhærere dicitur, quod alicui rei :essariò inest, ac cum ejus existentiâ reciproiur; sic ex. gr. cogitatio Animæ essentialiter npetit, cùm ab ea separari nequeat, ac poi ejus existentia necessariò illam comitetur, mque de extensione respectu Corporis inigendum.

Qu. 5. *Quotuplex est Attributum essentiale?*

Resp. Duplex: essentia rei ipsa, & ıjus proprietates.

Ex iis nimirum, quæ alicui substantiæ necesiò inhærent, aliqua τὸ esse illius tanquam forı constituunt, & vocantur *Essentialia attribu-* rei, vel invicem sumpta, *Essentia* sive *Natura* ; alia verò hanc Essentiam sicut adjuncta vel :cta immediatè consequuntur, & *Propria* seu *oprietates* rei nominantur. Ex. gr. Extensio longum latum & profundum constituit Cors, tanquam forma essentialis, quâ positâ po:ur Corpus, sublatâ tollitur, idcirco vocatur ırporis essentia, natura, vel forma essentia-

Ab extensione autem immediatè ac necesiò fluunt soliditas, impenetrabilitas, divisiitas, mobilitas &c. idcircò Proprietates corris salutantur.

* *Qu.* 6. *Quid est Attributum accidentale?*

Resp. Quod alicui substantiæ contingenter inhæret. Ut *Formositas homini, Color parieti &c.*

Alias hoc attributum *Accidens* simpliciter vocatur, tanquam modus à suo subjecto vel naturalibus ex caussis, vel saltem cogitatione separabilis. *Confer Cap. VI. Qu.* 12. Dein ex divisione *attributorum* in *essentialia* & *accidentalia* nascitur etiam illud discrimen, cùm alia dicuntur *propria*, alia *communia*; veluti Attributa homini cum brutis communia sunt moveri, nutriri, &c. propria autem loqui, sentire &c.

Qu. 7. *Quid est Attributum positivum?*

Resp. Est modus essendi realis. Ut *Motus in corpore, Visus in homine, &c.*

Qu. 8. *Quid negativum?*

Resp. Est Modus essendi privativus. Ut *Quies in corpore, Cæcitas in homine, &c.*

Attributa positiva non tam vocibus aut terminis, quàm sensu discernenda sunt, quia interdum voces affirmativæ modum negativum, & vice versa termini negativi modum positivum significant: Ex. gr. *mortalitas, oblivio, cæcitas*, licet affirmativi termini nihilominus attributa negativa significant; è contrario *immortalitas, inclementia*, sunt termini negativi, cùm tamen modos positivos designent.

Qu. 9. *Quid est Attributum abstractum?*

Resp. Quod seorsim à sua substantia con-

cipitur. Ut *pietas, formositas, opu-ia, &c.*

Modi separatim à subjectis suis conside-ur, ex. gr. numerus, figura, motus, absque illo Corpore, pietas, humilitas, sinceritas, ue significato Homine, & sic porrò, tunc *ibuta abstracta*, ut & *Termini* seu *Voces* illa ificantes identidem abstracti dicuntur. *Conf. III. Lib. I.*

Qu. 10. *Quid est igitur Mentis abstractio?*

Resp. Cùm ex iis, quæ conjuncta sunt, ım sine altero consideratur.

ic longitudo Corporum consideratur seor- à latitudine, hæc à profunditate, pars supe- sejunctim ab inferiore, anterior à posterio- dextra à sinistrâ, & sic porrò; licet nihilo- ıus sub quacunque Mentis abstractione in ı attributi semper idea substantiæ aliquate- involvatur.

Qu. 11. *Quid est Attributum concretum?*

Resp. Quod unà cum sua substantia ıcipitur. Ut *Homo pius, formosus, di- &c.*

Termini quibus attributa rerum concreta si- ficantur, identidem *concreti* audiunt, sunt- nunc *simplices*, ut *Rex, Tyrannus, Agricola*, ıc *complexi*, ut *Homo prudens, formosus, crude- &c.*

CAPUT



CAPUT NONUM

DE

ATTRIBUTIS IN SPECIE, ET PRIMO DE QUANTITATE.

Qu. 1. *Quotnam attributa apud Aristotelicos speciatim notabantur?*

Resp. Novem:

Quicquid sit de hoc Attributorum numero novenario, nos ex iis tantum tria considerabimus, sc. *Quantitatem*, *Qualitatem* & *Actionem*, cætera vel supervacanea æstimantes, vel aliorsum pertinentia.

* *Qu.* 2. *Quid est Quantitas?*

Resp. Est modus rei, à quo hæc tanta vel tanta dicitur.

Apud *Aristotelicos* Quantitas est *accidens, quod per se partem habet extra partem*; apud alios *Mensura magnitudinis, multitudinis & durationis.*

* *Qu.* 3. *Quotuplex est Quantitas?*

Resp. Triplex: magnitudo, multitudo, & tempus.

Vulgò *Quantitas* distinguitur in *continuam* cujus partes conjunctæ, & *discretam*, cujus partes separatæ sunt, illa rursus in unam, quæ permanet, ut *Magnitudo*, & alteram quæ fluit,

ut

ut *Tempus*. *Discreta* tantum una est, ac aliàs singulari nomine *Numerus*, vel *Multitudo* vocatur. Nos ut subdivisioni parcamus, studio brevitatis & perspicuitatis unâ trimembri dissectione omnem Quantitatem comprehendemus.

**Qu. 4. Quid est Magnitudo?*

Resp. Est quantitas, cujus partes invicem conjunctæ sunt.

Inde aliàs *Quantitas continua*, nunc etiam *Extensio, Dimensio* vocatur.

**Qu. 5. Quotuplex est Magnitudo?*

Resp. Triplex: linea, superficies & corpus.

Linea est magnitudo tantùm longa, ut ulna, milliare, stadium. *Superficies* est magnitudo longa & lata, ut planities campi. *Corpus* denique est magnitudo longa lata & profunda, ut domus, turris, arbor, &c. Termini Linearum sunt puncta, termini superficierum lineæ, ac denique termini Corporum superficies.

**Qu. 6. Quid est Multitudo?*

Resp. Est quantitas, cujus partes à se invicem separatæ sunt.

Aliàs *Quantitas discreta*, & vulgò *Numerus* vocatur, qui dein est vel *abstractus*, ut 2. 3. 4. vel *concretus*, sive rebus certis applicatus, ut decas, centuria, myrias Hominum, &c.

**Qu. 7. Quid est Tempus?*

Resp. Est quantitas successivæ durationis rerum.

Aristo-

Aristoteli est *Numerus motus secundum prius & posterius*; aliis *Mensura durationis rerum*, &c.

**Qu.* 8. *Quotuplex est Tempus?*

Resp. Triplex: præteritum, præsens & futurum.

Præterea temporis variæ occurrunt mensuræ, annus, mensis, hebdomada, dies, hora, minutæ, &c. Quæ autem Temporis partes à nobis minimæ concipiuntur, *Momenta*, græcè τὰ νῦν vocantur.



CAPUT DECIMUM

DE

QUALITATE.

**Qu.* 1. *Quid est Qualitas?*

Resp. Est modus Substantiæ, à quo hæc talis vel talis dicitur.

**Qu.* 2. *Quotuplex est Qualitas?*

Resp. Duplex: alia Spirituum, alia Corporum.

Ab *Aristotelicis* quatuor species Qualitatum notabantur (1) Habitus & Dispositio. (2) Potentia & Impotentia naturalis (3) Patibilis qualitas & Passio (4) Forma & Figura.

**Qu.* 3. *Quomodo vocatur Qualitas in Spiritibus concepta?*

Resp. Facultas seu potentia agendi.

*Qu. 4. Quotuplex est ea?

Resp. Duplex: naturalis & acquisita.

Potentia naturalis dicitur, quam suâ naturâ iritus possident, velut Anima hominis facul:em intelligendi, volendi &c. quæ si arte & u incipiat perfici, *Dispositio*, & si jam eò pernerit, ut cùm plenâ facilitate operari possit, nc *Potentia acquisita*, vel *Habitus mentis* votur.

*Qu. 5. Quomodo vocantur Qualitates Corporum?

Resp. Qualitates sensibiles. Ut sunt *ilor, frigus, lumen, color, sonus, &c.*

Illa Corporum attributa, quæ per sensus cor-poreos menti nostræ manifestantur, apud Phy-cos *Qualitates sensibiles*, apud Logicos *patibiles* ocari consueverunt, discriminatæ quidem to numero quinque sensuum nostrorum (1) *Visibiles*, ut sunt lumen, colores, magnitudo, gura, &c. (2) *Audibiles*, ut sunt soni omnis eneris, (3) *Gustabiles*, ut sapores, dulcedo, a-iaror, austeritas, &c. (4) *Olfactiles*, ut sunt o-ores, fragrantia, fœtor, &c. (5) *Tactiles*, ut sunt alor, frigus, humiditas, siccitas, durities, molties, dolor &c. ex quibus *Aristotelici* quadrigam lam *Humiditatis, Siccitatis, Caliditatis & Frigiitatis* appellaverunt *quatuor primas Corporum ualitates.*

CAPUT



CAPUT XI.

DE

ACTIONE.

**Qu.* I. *Quid ſit actio per ſe clarum eſt, igitur mihi dicas, quotuplex ea ſit?*

Reſp. Duplex: Spirituum & Corporum.

Actiones Spirituum & Corporum eſſentialiter ab invicem differunt; illæ ab eſſentia cauſæ vel ſubſtântiæ unde producuntur, per Mentis noſtræ imbecillitatem diſtingui nequeunt; hæ utique clariùs innoteſcunt. Alioquî apud Veteres *actus* nunc *primus* dicebatur, qui nihil eſſet niſi potentia agendi; nunc *ſecundus*, qui eſſet operatio ipſa actualis modò contingens.

* *Qu.* 2. *Quænam eſt actio Spirituum?*

Reſp. Una & ſimpliciſſima cogitatio.

**Qu.* 3. *Quænam eſt proprietas Actionum ſpiritualium?*

Reſp. Quòd fiant ex libera voluntate.

Mentes ut liberè agant, ſive ut nullum in ſe alienum agendi impulſum percipiant, à Sapientiſſimo ſuo Creatore acceperunt, quem actionis præclarum characterem in ſe animus hominis ſatis ſuperque experitur.

Qu. 4.

Qu. 4. *Quotuplex est Actio Spirituum?*
Resp. Duplex: immanens atque
ınsiens.

Actio immanens dicitur, quæ à Mente proficitur, in eaque subsistit ac terminatur; transs verò quæ extra Mentem in res alias porriur, ex. gr. in oculum lustrando, in linguam ¡uendo, in manum scribendo, in pedes ambulando, &c.

**Qu.* 5. *Quænam est Actio corporum?*
Resp. Motus.

**Qu.* 6. *Quænam est proprietas Actionum corporearum?*
Resp. Quod fiant necessitate naturæ.

Qu. 7. *Quænam in Actione corporum qualibet discernenda sunt juxta Veteres?*
Resp. Quatuor: agens, patiens, terinus à quo, & terminus ad quem.

Exemplo sit Trucidatio *Ciceronis*: in hac *ns* fuit Herennius ab Antonio missus, *patiens* cero, *terminus à quo* vita Ciceronis, *terminus quem* mors ejusdem. In explosione Bomrdæ *agens* est accensus pulvis pyrius, *patiens* Globulus explosus, *terminus à quo* Bombar, *terminus ad quem* meta, quam globulus fendo attingit.



CAPUT XII.

DE RERUM CONSIDERATIONE RELATIVA, SEU RELATIONE.

* *Qu.* 1. *Quomodo apud Logicos vocatur respectiva rerum consideratio?*

Resp. Relatio, & res ipsæ ad se invicem spectatæ Relata.

Relatio aliàs definitur, quòd sit *rei unius ad aliam habitudo*, *s.* Σχέσις, *s. respectus*: vel *actus mentis rem unam cum alia conferens sive comparans.* Ea ipsa autem quæ ad se invicem referuntur *Relata*, græcè τὰ πρός τι vocantur, utpotè quæ juxta *Aristotelem id ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur*, *vel alio aliquo modo ad aliud referuntur.*

* *Qu.* 2. *Quænam est proprietas Relatorum?*

Resp. Esse simul naturâ, seu existentiâ suâ reciprocari.

Ex duobus Relatis neutrum sine altero existere potest, sed uno posito, alterum eo ipso simul ponitur, quòd sit Relatum: ex. gr. Pater non est, nisi qui habeat Filium, nemo Dominus, nisi habeat servum, non Rex, nisi sint subditi, & sic porrò, quorum proin ideæ se invicem ponunt, aut mutuò tollunt, id est, reciprocantur.

*Qu. 3. *Quotuplicia sunt Relata?*

Resp. Duplicia: realia & rationis.

Distinguuntur etiam in *Relata secundum dici*, æ nomine tantum aut verbis ad se invicem eruntur, ut *sensus* & *sensibile*, *scientia* & *scibile*, ejusmodi; & *Relata secundum esse*, quorum a essentia consistit in respectu ad aliud, ut *ritus* & *uxor*, *victor* & *victus*, &c.

*Qu. 4. *Quid sunt Relata realia?*

Resp. Quæ suâ naturâ ad se invicem feruntur. Ut *pater* & *filius*; *rex* & *bditi*.

*Qu. 5. *Quid Relata rationis?*

Resp. Quæ nonnisi in conceptu no-ro ad se invicem referuntur. Ut *dex-um* & *sinistrum*.

*Qu. 6. *Quænam sunt in qualibet Relatione consideranda?*

Resp. Tria: relatum, correlatum & ndamentum relationis.

Res quæ ad aliam refertur, *Relatum*; hæc alia quam prior illa refertur; *Correlatum*; ac stremò ratio, ob quam res illæ ad se invicem feruntur; *Fundamentum relationis* vocatur. : gr. in relatione regis ad subditos, rex dici-r *relatum*, subditi *correlatum*, & potestas re-i sive imperium, *fundamentum ejus relationis*. latum alioqui etiam *subjectum*, & correlatum *minus relationis* nominatur.



CAPUT NONUM

DE

ATTRIBUTIS IN SPECIE, ET PRIMO DE QUANTITATE.

Qu. 1. *Quotnam attributa apud Aristotelicos speciatim notabantur?*

Resp. Novem:

Quicquid sit de hoc Attributorum numero novenario, nos ex iis tantum tria considerabimus, sc. *Quantitatem*, *Qualitatem* & *Actionem*, cætera vel supervacanea æstimantes, vel aliorsum pertinentia.

* *Qu.* 2. *Quid est Quantitas?*

Resp. Est modus rei, à quo hæc tanta vel tanta dicitur.

Apud *Aristotelicos* Quantitas est *accidens, quod per se partem habet extra partem*; apud alios *Mensura magnitudinis, multitudinis & durationis.*

* *Qu.* 3. *Quotuplex est Quantitas?*

Resp. Triplex: magnitudo, multitudo, & tempus.

Vulgò *Quantitas* distinguitur in *continuam* cujus partes conjunctæ, & *discretam*, cujus partes separatæ sunt, illa rursus in unam, quæ permanet, ut *Magnitudo*, & alteram quæ fluit, ut

Tempus. Discreta tantum una est, ac aliàs
ıgulari nomine *Numerus*, vel *Multitudo* vo-
tur. Nos ut subdivisioni parcamus, studio
evitatis & perspicuitatis unâ trimembri dis-
ctione omnem Quantitatem comprehende-
us.

**Qu. 4. Quid est Magnitudo?*

Resp. Est quantitas, cujus partes in-
cem conjunctæ sunt.

Inde aliàs *Quantitas continua*, nunc etiam *Ex-
nsio*, *Dimensio* vocatur.

**Qu. 5. Quotuplex est Magnitudo?*

Resp. Triplex: ilnea, superficies &
ɔrpus.

Linea est magnitudo tantùm longa, ut ulna,
illiare, stadium. *Superficies* est magnitudo
nga & lata, ut planities campi. *Corpus* deni-
ıe est magnitudo longa lata & profunda, ut
ɔmus, turris, arbor, &c. Termini Linearum
nt puncta, termini superficierum lineæ, ac
ɛnique termini Corporum superficies.

**Qu. 6. Quid est Multitudo?*

Resp. Est quantitas, cujus partes à se
ıvicem separatæ sunt.

Aliàs *Quantitas discreta*, & vulgò *Numerus* vo-
ıtur, qui dein est vel *abstractus*, ut 2. 3. 4. vel
ncretus, sive rebus certis applicatus, ut decas,
ːnturia, myrias Hominum, &c.

**Qu. 7. Quid est Tempus?*

Resp. Est quantitas successivæ dura-
onis rerum.

Aristoteli est *Numerus motûs secundum prius & posterius*; aliis *Mensura durationis rerum*, &c.

**Qu.* 8. *Quotuplex est Tempus?*

Resp. Triplex: præteritum, præsens & futurum.

Præterea temporis variæ occurrunt mensuræ, annus, mensis, hebdomada, dies, hora, minutæ, &c. Quæ autem Temporis partes à nobis minimæ concipiuntur, *Momenta*, græcè τὰ νῦν vocantur.

CAPUT DECIMUM DE QUALITATE.

**Qu.* 1. *Quid est Qualitas?*

Resp. Est modus Substantiæ, à quo hæc talis vel talis dicitur.

**Qu.* 2. *Quotuplex est Qualitas?*

Resp. Duplex: alia Spirituum, alia Corporum.

Ab *Aristotelicis* quatuor species Qualitatum notabantur (1) Habitus & Dispositio. (2) Potentia & Impotentia naturalis (3) Patibilis qualitas & Passio (4) Forma & Figura.

**Qu.* 3. *Quomodo vocatur Qualitas in Spiritibus concepta?*

Resp. Facultas seu potentia agendi.

Qu. 4.

*Qu. 4. Quotuplex est ea?

Resp. Duplex: naturalis & acquisita.

Potentia naturalis dicitur, quam suâ naturâ spiritus possident, velut Anima hominis facultatem intelligendi, volendi &c. quæ si arte & usu incipiat perfici, *Dispositio*, & si jam eò pervenerit, ut cùm plenâ facilitate operari possit, tùnc *Potentia acquisita*, vel *Habitus mentis* vocatur.

*Qu. 5. Quomodò vocantur Qualitates Corporum?

Resp. Qualitates sensibiles. Ut sunt *calor, frigus, lumen, color, sonus, &c.*

Illa Corporum attributa, quæ per sensus corporeos menti nostræ manifestantur, apud Physicos *Qualitates sensibiles*, apud Logicos *patibiles* vocari consueverunt, discriminatæ quidem pro numero quinque sensuum nostrorum (1) in *Visibiles*, ut sunt lumen, colores, magnitudo, figura, &c. (2) *Audibiles*, ut sunt soni omnis generis, (3) *Gustabiles*, ut sapores, dulcedo, amaror, austeritas, &c. (4) *Olfactiles*, ut sunt odores, fragrantia, fœtor, &c. (5) *Tactiles*, ut sunt calor, frigus, humiditas, siccitas, durities, mollities, dolor &c. ex quibus *Aristotelici* quadrigam illam *Humiditatis, Siccitatis, Caliditatis & Frigiditatis* appellaverunt *quatuor primas Corporum qualitates*.

CAPUT



CAPUT XI.

DE

ACTIONE.

**Qu.* 1. *Quid sit actio per se clarum est, igitur mihi dicas, quotuplex ea sit?*

Resp. Duplex: Spirituum & Corporum.

Actiones Spirituum & Corporum essentialiter ab invicem differunt; illæ ab essentia causæ vel substantiæ unde producuntur, per Mentis nostræ imbecillitatem distingui nequeunt; hæ utique clariùs innotescunt. Alioqui apud Veteres *actus* nunc *primus* dicebatur, qui nihil esset nisi potentia agendi; nunc *secundus*, qui esset operatio ipsa actualis modò contingens.

* *Qu.* 2. *Quanam est actio Spirituum?*

Resp. Una & simplicissima cogitatio.

**Qu.* 3. *Quanam est proprietas Actionum spiritualium?*

Resp. Quòd fiant ex libera voluntate.

Mentes ut liberè agant, sive ut nullum in se alienum agendi impulsum percipiant, à Sapientissimo suo Creatore acceperunt, quem actionis præclarum characterem in se animus hominis satis superque experitur.

Qu. 4.

*Qu. 4. *Quotuplex est Actio Spirituum?*

Resp. Duplex: immanens atque transiens.

Actio immanens dicitur, quæ à Mente proficiscitur, in eaque subsistit ac terminatur; transiens verò quæ extra Mentem in res alias porrigitur, ex. gr. in oculum lustrando, in linguam loquendo, in manum scribendo, in pedes ambulando, &c.

*Qu. 5. *Quænam est Actio corporum?*

Resp. Motus.

*Qu. 6. *Quænam est proprietas Actionum corporearum?*

Resp. Quod fiant necessitate naturæ.

Qu. 7. *Quænam in Actione corporum qualibet discernenda sunt juxta Veteres?*

Resp. Quatuor: agens, patiens, terminus à quo, & terminus ad quem.

Exemplo sit Trucidatio *Ciceronis*: in hac *agens* fuit Herennius ab Antonio missus, *patiens* Cicero, *terminus à quo* vita Ciceronis, *terminus ad quem* mors ejusdem. In explosione Bombardæ *agens* est accensus pulvis pyrius, *patiens* est Globulus explosus, *terminus à quo* Bombarda, *terminus ad quem* meta, quam globulus feriendo attingit.



CAPUT XII.

DE RERUM CONSIDERATIONE RELATIVA, SEU RELATIONE.

**Qu.* 1. *Quomodo apud Logicos vocatur respectiva rerum consideratio?*

Resp. Relatio, & res ipsæ ad se invicem spectatæ Relata.

Relatio aliàs definitur, quòd sit *rei unius ad aliam habitudo*, *s.* Σχέσις, *s. respectus*: vel *actus mentis rem unam cum alia conferens sive comparans*. Ea ipsa autem quæ ad se invicem referuntur *Relata*, græcè τὰ πρός τι vocantur, utpote quæ juxta *Aristotelem id ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, vel alio aliquo modo ad aliud referuntur*.

** Qu.* 2. *Quænam est proprietas Relatorum?*

Resp. Esse simul naturâ, seu existentiâ suâ reciprocari.

Ex duobus Relatis neutrum sine altero existere potest, sed uno posito, alterum eo ipso simul ponitur, quòd sit Relatum: ex. gr. Pater non est, nisi qui habeat Filium, nemo Dominus, nisi habeat servum, non Rex, nisi sint subditi, & sic porrò, quorum proin ideæ se invicem ponunt, aut mutuò tollunt, id est, reciprocantur.

Qu. 3.

*Qu. 3. *Quotuplicia sunt Relata?*

Resp. Duplicia: realia & rationis.

Distinguuntur etiam in *Relata secundum dici*, quæ nomine tantùm aut verbis ad se invicem referuntur, ut *sensus* & *sensibile*, *scientia* & *scibile*, ac ejusmodi; & *Relata secundum esse*, quorum ipsa essentia consistit in respectu ad aliud, ut *maritus* & *uxor*, *victor* & *victus*, &c.

*Qu. 4. *Quid sunt Relata realia?*

Resp. Quæ suâ naturâ ad se invicem referuntur. Ut *pater* & *filius*, *rex* & *subditi*.

*Qu. 5. *Quid Relata rationis?*

Resp. Quæ nonnisi in conceptu nostro ad se invicem referuntur. Ut *dextrum* & *sinistrum*.

*Qu. 6. *Quænam sunt in qualibet Relatione consideranda?*

Resp. Tria: relatum, correlatum & fundamentum relationis.

Res quæ ad aliam refertur, *Relatum*; hæc alia ad quam prior illa refertur; *Correlatum*; ac postremò ratio, ob quam res illæ ad se invicem referuntur; *Fundamentum relationis* vocatur. Ex. gr. in relatione regis ad subditos, rex dicitur *relatum*, subditi *correlatum*, & potestas regis sive imperium, *fundamentum ejus relationis*. Relatum alioqui etiam *subjectum*, & correlatum *terminus relationis* nominatur.

Qu. 7. *Quotnam sunt Modi relativæ considerationis rerum?*

Resp. Quinque præsertim:

(1) Cùm res una ceu alterius totum vel pars concipitur.

(2) Cùm res una ceu alterius causa vel effectum concipitur.

(3) Res una ceu alterius subjectum vel prædicatum.

(4) Res una alii conveniens, vel opposita.

(5) Cùm res una ceu alterâ prior vel posterior concipitur.



CAPUT XIII.

DE TOTO ET PARTE.

**Qu.* 1. *Quid est Totum?*

Resp. Est ens constans ex plurium unione. Ut *arbor, domus, &c.*

**Qu.* 2. *Quotuplex est illud?*

Resp. Quadruplex: universale, formale, essentiale & integrale.

Totum (1) *universale* Logici vocant genus aliquod respectu specierum, aut speciem respectu individuorum: ex. gr. Animal respectu hominum & brutorum, Hominem respectu individi-

'iduorum *Petri*, *Pauli*, &c. hoc aliàs *Totum* *icum* appellatur. (2) *Totum formale* nomi- nt omnem rem definitam respectu partium finientium, sive speciem respectu generis & ferentiæ, per quam definitur: ex. gr. Homi- m respectu animalis & rationalitatis, quibus minis invicem junctis ille definitur. Hoc às *Totum metaphysicum* dicitur. (3) *Totum* *ntiale*, rem aliquam respectu materiæ & :mæ, ex quibus constituitur. Hoc aliàs *To- m physicum* salutatur. (4) *Totum integrale* nique vocant, aliquod corpus respectu sua- m partium: ex. gr. Arborem respectu radi- ;, foliorum, florum, fructuum &c. vel nume- m aliquem respectu suarum partium, ut 100. spectu decem, viginti &c. Hoc aliàs *Totum* *athematicum* appellatur.

**Qu.* 3. *Quotuplex est Totum integrale?*

Resp. Duplex: similare seu homoge- eum, & dissimilare seu heterogeneum.

**Qu.* 4. *Quid est Totum homogeneum?*

Resp. Corpus ex ejusdem naturæ artibus constans. Ut *aqua*, *vinum*, *'acies*, *vitrum*, *&c.*

Homogeneum dicitur ab ὅμοιος, similis, & γένος, enus, tanquam res ex ejusdem generis parti- us constans, ut sunt modò nominatæ. *Partes* ujus Totius etiam *similares*, vel *homogeneæ* vo- antur.

**Qu.* 5. *Quid Heterogeneum?*

Resp. Corpus ex partibus diversæ na-

turæ constans. Ut *animal, planta, horologium, &c.*

Heterogeneum dicitur ab ἕτερος alienus, diversus, & γένος genus, tanquam corpus ex partibus diversi generis constans, ut Animal ex diversis organis, oculis, auribus, &c. Planta ex radicibus, foliis, flore, fructu, &c. Horologium ex vectibus, rotulis, &c. *Partes* hujus etiam *dissimilares* vel *heterogeneæ* vocantur.

**Qu. 6. Insinuasti Partes etiam dividi in homogeneas & heterogeneas, num adhuc aliter dividuntur?*

Resp. In principales & minùs principales.

**Qu. 7. Quid est Pars principalis?*

Resp. Quæ ad conservationem totius absolutè est necessaria. Ut *cor, cerebrum, pulmones &c. respectu animalis.*

**Qu. 8. Quid minus principalis?*

Resp. Quæ ad conservationem totius non absolutè est necessaria. Ut *pes, brachium, capilli, &c. respectu Hominis.*

CAPUT XIV.
DE CAUSA ET EFFECTO.

**Qu. 1. Quid est Causa?*

Resp. Est principium à quo res est.

Res autem ex illo producta causatum vel effectum dicitur.

Qu. 2.

*Qu. 2. *Quotuplices sunt Causæ?*

Resp. Duplices: internæ & externæ. *Internæ* dicuntur, quæ causato insunt tanquam pars aut forma; *externæ* autem, quæ extra illud quomodocunque existunt, suoque tantùm effectu influunt.

*Qu. 3. *Quot sunt Causæ internæ?*

Resp. Duæ: materia & forma.

*Qu. 4. *Quid est Materia?*

Resp. Principium internum, ex quo res ipsa constat. Sic *lapides, ligna, arenæ &c. sunt materia domûs.*

Philosophi materiam distinguunt in *materiam generationis*, ex quâ res generantur, & *materiam compositionis*, ex quâ illæ revera constituuntur, ex. gr. Ovum dicunt esse *mate[r]iam generationis* pulli futuri, sed *materiam compositionis* ejusdem, caput, truncum, alas, pedes &c. Porrò in *materiam primam*, quæ omnibus [r]ebus est communis, & *secundam*, quæ his illis est [p]eculiaris; sic v. gr. Congeries elementorum est [m]ateria prima omnium corporum; sed aër, ignis, [a]qua, terra &c. sunt *materiæ secundæ*, ex quibus [h]æ atque aliæ species producuntur.

*Qu. 5. *Quid est Forma?*

Resp. Principium internum per quod [r]es in suâ essentiâ constituitur. Sic [m]echanica compages lapidum, lignorum, &c. [es]t forma domûs.

Philosophi *Formam* dividunt in *naturalem*,

 quæ

quæ rebus ineſt ex cauſis neceſſariis à Deo ordinatis, ut forma plantæ, animalis, ſtellæ &c. & *artificialem*, quæ hominum operâ & arte ipſis introducitur, ut auro argento forma nummi, ferro chalybi forma cultri, lapidibus lignis forma domûs.

**Qu. 6. Quot ſunt Cauſæ externæ?*

Reſp. Duæ: efficiens & finis.

DE CAUSA EFFICIENTE.

**Qu. 7. Quid eſt Cauſa efficiens?*

Reſp. Principium externum, à cujus actione res producitur. Sic *Cauſa ædificii eſt Architectus, horologii Faber, &c.*

Axiomata de cauſa efficiente in genere ſunt multa: ex. gr. Poſitâ cauſâ ponitur effectus: Nihil fit ſine cauſâ: Natura nihil facit fruſtra: Quod poteſt fieri per pauca, non debet fieri per plura, &c.

Qu. 8. Quot ſunt Differentiæ cauſarum efficientium notabiles?

Reſp. Novem præcipuè:

(1) Alia eſt imanens, alia tranſiens.

(2) Alia prima, alia ſecunda.

(3) Alia proxima, alia remota.

(4) Alia procreans, alia conſervans, alia corrumpens.

(5) Alia principalis, alia minus principalis.

(6) Alia

(6) Alia ſolitaria, alia ſocia.
(7) Alia univerſalis, alia particularis.
(8) Alia libera, alia neceſſaria.
(9) Alia per ſe, alia per accidens.

*Qu. 9. *Quid eſt cauſa immanens?*

Reſp. Quæ producit effectum in ſe ipſâ. Ut *Anima cogitando.*

*Qu. 10. *Quid tranſiens?*

Reſp. Quæ producit effectum extra ſe. Ut *Anima corpus movendo.*

*Qu. 11. *Quid eſt Cauſa prima?*

Reſp. Quæ non dependet à cauſâ priore. Sic *Deus eſt cauſa omnium rerum.*

Hæc iterum diſtinguitur in *abſolutè primam*, qualis eſt ſolus Deus, & *primam in ſuo genere*, quemadmodum Adamus eſt prima cauſa omnium Hominum.

*Qu. 12. *Quid ſecunda?*

Reſp. Quæ dependet á cauſa priore. Ut *Sol terram calefaciens, &c.*

*Qu. 13. *Quid eſt Cauſa proxima?*

Reſp. Quæ effectum producit immediatè. Ut *ignis furnum calefaciens, Pluvia terram humectans, &c.*

*Qu. 14. *Quid remota?*

Reſp. Quæ effectum producit media-

te. Ut *Manus hominis literas pingens mediante calamo.*

Ex Remotis alia est proxima vicina, alia remotior, alia remotissima. Ex. gr. in jactu teli *causa proxima* est arcus telum vibrans, *remota* brachium athletæ, *remotior* cerebrum & nervi brachium moventes, *remotissima* verò *Mens athletæ* jaculantis.

**Qu. 15. Quid est Causa procreans?*

Resp. Quæ primam rei existentiam largitur. Ut *Deus mundum creans.*

**Qu. 16. Quid conservans?*

Resp. Quæ rem in suo statu perseverare facit. Ut *Deus mundum conservans.*

**Qu. 17. Quid corrumpens?*

Resp. Quæ rei essentiam destruit. Ut *Morbus hominem occidens.*

**Qu. 18. Quid est Causa principalis?*

Resp. Quæ primariò effectum producit. Ut *Architectus domum construens, Dux bellum gerens, &c.*

**Qu. 19. Quid minus principalis?*

Resp. Quæ primariæ subordinatur. Ut *Instrumenta architecto, Milites imperatori, &c.*

Causa minus principalis iterum est vel *impellens*, vel *instrumentalis*; illa rursus nunc *intrinseca,*

feca feu *proegumena*, ut eruditionis cupido in Difcipulo; nunc *extrinfeca* feu *procatarctica*, ut Præceptor difcipulum inftigans; hæc autem (*inftrumentalis*) vel *nobilior* eft, ut bajuli, jumenta, architecto fubordinata, vel *ignobilior*, ut ferra, malleus, fecuris, eidem infervientia.

*Qu. 20. *Cùm ad Caufas minus principales etiam pertineat Caufa fine qua non, velim mihi hanc definias?*

Refp. Eft conditio fecundaria ad effectum producendum requifita,

Sic *bona valetudo* eft *caufa fine qua* non multarum Hominis actionum, ambulationis, laboris, peregrinationis,&c. Sic Tabula eft caufa fine qua non picturæ cujufdam; fic pecunia caufa fimilis refpectu mercaturæ, quæ utpote fine illâ exerceri vix poteft, ut plura exempla prætereamus.

*Qu. 21. *Quid eft Caufa folitaria?*

Refp. Quæ fola effectum producit. Ut *Homo loquens, canens, fcribens*, &c.

Hæc aliàs *Caufa adæquata* vocatur, cùm ad producendum effectum fufficiat fola.

*Qu. 22. *Quid Caufa focia?*

Refp. Quæ cum aliis ad effectum producendum concurrit. Ut *Imperator cum militibus fuis hoftem invadens, plures equi currum trahentes, &c.*

*Qu. 23. *Quid eft Caufa univerfalis?*

Refp. Quæ plures effectuum fpecies pro-

producit. Ut *Sol terram calefaciens, plantas animaliaq; concitans, Homo loquens, scribens, cogitans.*

**Qu. 24. Quid particularis?*

Resp. Quæ unam effectûs speciem producit. Ut *Alimentum corpus nutriens, ignis calefaciens, &c.*

**Qu. 25. Quid est Causa libera?*

Resp. Quæ volens effectum producit. Ut *Homo loquens, comedens, &c.*

Hæc aliàs *Causa intelligens* vocatur, cùm sui effectûs sit conscia. Qui suadet rogat vel jubet, ut aliquid fiat, vel qui non impedit effectum cùm posset ac deberet, ille peculiariter *Causa moralis* dicitur; ex. gr. aliquis latronem pro cæde cujusdam corrumpens ac stimulans, aut aliquem in vitæ periculo constitutum præteriens, quem salvare potuisset, aut ignem domui instruens, & ejusmodi. Quibus exemplis declaratur *Causam moralem* influere in alias causas, nunc intelligentes, rogando, suadendo, jubendo; nunc merè naturales sive corporeas, applicando, admovendo; vel in utrasque, non impediendo cum posset.

**Qu. 26. Quid necessaria?*

Resp. Quæ ex necessitate naturæ effectum producit. Ut *ignis lignum comburens, pluvia terram humectans, &c.*

Hæc aliàs *Causa physica, naturalis* vel *corporea*

porea appellatur, quæ ſcilicet à Deo ſecundum perpetuas & æquabiles leges ordinata, ex abſoluta neceſſitate effectum hunc illum edere concipitur.

*Qu. 27. *Quid eſt Cauſa per ſe?*

Reſp. Quæ effectum ſibi congruum & ſolitum producit. Ut *Homo generans hominem*, *Piſcator piſces capiens*, &c.

*Qu. 28. *Quid Cauſa per accidens?*

Reſp. Quæ effectum ſibi incongruum & inſolitum producit. Ut *Homo generans monſtrum*, *Piſcator tripodem aureum extrahens*, &c.

DE FINE.

*Qu. 29. *Quid eſt Finis?*

Reſp. Eſt cauſa externa ad quam effectus dirigitur. Sic *Finis ſtudiorum eſt eruditio*, *orationis perſuaſio*, &c.

Aliàs dicitur *Cauſa*, *cujus gratiâ* vel *propter quam res eſt*, ſive *quæ ſui amore incitat efficientem ad agendum*, veluti Amor beatitudinis impellit animum ad virtutem, amor veritatis ad philoſophiam, amor lucri ad mercaturam, & ſic porrò. Hæc impulſiva cauſalitas aliâs à Logicis *motio metaphorica* ſive *impropria* vocatur.

Qu. 30. Quotnam ſunt Differentiæ Finis?

Reſp. Septem præcipuè:

(1) Alius

(1) Alius est intentus, alius obtentus.

(2) Alius Finis cujus, alius cui.

(3) Alius ultimus, alius subordinatus.

(4) Alius primarius, alius secundarius.

(5) Alius adæquatus, alius inadæquatus.

(6) Alius universalis, alius particularis.

(7) Alius agentis, alius operis producti.

*Qu. 31. *Quid est Finis intentus, sive intentionis?*

Resp. Qui tanquam futurum aliquod ab agente expetitur. Sic *vita æterna est finis Fidelium in hac terra.*

*Qu. 32. *Quid Finis obtentus, sive executionis?*

Resp. Qui jam ab agente possidetur. Sic *Vita æterna est finis beatorum in cælo.*

*Qu. 33. *Quid est Finis cujus?*

Resp. Est res ipsa quæ expetitur. Ita *Sanitas est finis cujus medicinæ.*

* Qu. 34. *Quid Finis cui?*

Resp. Est persona propter quam aliquid expetitur. *Ita Ægrotus est finis cui medicinæ.*

*Qu.

*Qu. 35. *Quid est Finis ultimus?*

Resp. Qui non refertur ad finem ulteriorem.

Qui non refertur ad alium ulteriorem, hoc est in eodem rerum genere. Estque rursus vel *absolutè ultimus*, cui cæteri omnes subordinantur, vel *ultimus* tantùm *in suo genere*; ex. gr. scopus Philosophiæ absolutè ultimus est Gloria Dei, propter quam omnia studia suscipiuntur; ultimus autem in suo genere, cognitio veritatis.

*Qu. 36. *Quid subordinatus?*

Resp. Qui refertur ad finem ulteriorem.

Qui ad ulteriorem ordinatur, scilicet in eodem rerum genere; quemadmodum administratio medicamentorum apud ægrotos est finis aliquis Medicorum, sed directus ad ulteriorem, sc. sanitatem. Ita Logicorum finis ultimus est rectus rationis usus, at finis subordinatus lectio librorum logicorum; exercitium judicandi, disputandi, &c. Cæterùm *Finis subordinatus* aliàs uno nomine *Medii* significatur, quod vulgò trifariàm distinguunt, sc. in *personas, res* & *actiones*; ex. gr. Ædificium est finis ultimus architecti, ad quem impetrandum usurpat varia media, (1) personas, putà bajulos, fabros, &c. (2) res materiales, ut sunt lapides, ligna, ferrum, &c. (3) actiones vel encheireses ipsas; quæ tria dicuntur totidem *media* seu *fines subordinati* ipsius ædificis.

*Qu. 37.

**Qu.* 37. *Quid est Finis primarius?*

Resp. Quem agens principaliter intendit. Sic *Vestium finis primarius est corpus tegere.*

**Qu.* 38. *Quid secundarius?*

Resp. Quem agens minus principaliter intendit. Sic *Vestium finis secundarius est ornatus corporis.*

**Qu.* 39. *Quid est Finis adæquatus?*

Resp. Est totum illud bonum quod expetitur.

**Qu.* 40. *Quid inadæquatus?*

Resp. Est pars illius boni, quod expetitur.

Exemplo sit mercator aliquis, sibi proponens lucrandi centum thaleros, si hos acquirat omnes, *fine adæquato* seu *toto:* si non omnes impetret, *fine inadæquato* seu *partiali* tantùm potitus esse dicitur.

**Qu.* 41. *Quid est Finis universalis?*

Resp. Ad quem plures causæ efficientes contendunt.

**Qu.* 42. *Quid particularis?*

Resp. Qui ab aliquo agente tanquam proprius expetitur.

Ex. gr. Eruditio est finis Studiosorum universalis, sed eruditio in Logicâ, Physica, Ethica &c. sunt fines particulares totidem disciplinarum cultoribus proprii.

**Qu.* 43. *Quid est Finis agentis?*

Resp. Est opus ipsum ab agente intentum. Ut *Domus ab architecto.*

* *Qu.* 44. *Quid Finis operis?*

Resp. Est usus operis ab agente producti. *Sic finis ædificii est inhabitatio.*

CAPUT XV.

DE

SUBJECTO ET ADJUNCTO.

Qu. 1. *Quid apud Logicos vocatur Subjectum?*

Resp. Substantia, cui aliquid præter essentiam adjungitur. Ut *Homini pietas, doctrina, corpori forma.*

Cùm alicui substantiæ quiddam inesse, vel adesse concipitur, quod ejus naturam vel essentiam nullo modo constituat, aut ingrediatur, tunc illa hujus respectu *subjectum* apud Logicos nominatur.

Qu. 2. *Quot sunt species subjecti notabiliores?*

Resp. Tres: Subjectum inhæsionis, adhæsionis & continens.

Alias divisiones ut parùm utiles consultò omittimus.

Qu. 3. *Quid est Subjectum inhæsionis?*

Resp. Cui adjuncta inhærent. Ut *Homini doctrina, corpori formositas, &c.*

Subjectum inhæsionis aliud est *spirituale*, quod aliàs *agens, activum, occupatum*, vel *subjectum informationis* dicitur, quemadmodum est mens humana respectu philosophiæ, cui se applicat, vel quam in se capit; aliud *corporeum*, sive *passivum*, ut est corpus respectu coloris, ignis respectu fervoris, & ejusmodi. *Adjuncta* respectu hujus subjecti relativo termino *inhærentia* vocantur.

Qu. 4. *Quid Subjectum adhæsionis?*

Resp. Cui adjuncta superficietenus cohærent. Ut *corpori vestes, capiti pileus, manibus chirothecæ, &c.*

Si adjuncta circumdent subjecti superficiem totam, tunc id *Subjectum circumjacentiæ*, & si quomodocunque tantùm adjaceant, tunc *subjectum adjacentiæ* vocatur; prioris exemplum sunt vestimenta respectu hominis vestiti, posterioris autem divitiæ respectu divitis. Adjuncta respectu hujus subjecti relativis terminis *adhærentia, adjacentia*, vel *circumjacentia* vocantur.

Qu. 5. *Quid est Subjectum continens?*

Resp. In quo adjuncta tanquam in spatio continentur. Ut *vinum in dolo, nummi in crumenâ, incolæ in urbe, &c.*

Adjuncta

Adjuncta hujus ſubjecti relativo termino *contenta* vocantur.

Qu. 6. *Quid apud Logicos vocatur Adjunctum?*

Reſp. Quicquid ſubſtantiæ cuidam præter eſſentiam adjungitur. Ut *formoſitas, humilitas homini, color, durities corpori, &c.*

Quæſtio 7. *Inſinuâſti Adjuncta relativè reſpondere ſubjectis, ſed quænam ſunt aliæ ſpecies eorum notabiles?*

Reſp. Tres: objectum, ſignum & circumſtantia.

Qu. 8. *Quid eſt Objectum?*

Reſp. Eſt res circa quam aliquod agens verſatur. Ut *Logicus circa rationis uſum, Phyſicus circa res naturales, &c.*

Aliàs *adjunctum occupans* nominatur, cùm circa illud cauſa quædam intelligens occupetur, velut Theologus circa res divinas, Medicus circa ſanitatem & morbos, Juriſconſultus circa juſtitiam, & ſic porrò. Cauſa agens & intelligens reſpectu objecti, ad quod ſeſe applicat, à Logicis *Subjectum informationis* vocatur.

Qu. 9. Quotnam sunt differentiæ objectorum notabiles?

Resp. Tres præcipuè:

(1) Aliud est primarium, aliud secundarium.

(2) Aliud totale seu adæquatum, aliud partiale seu inadæquatum.

(3) Aliud materiale, aliud formale.

Objectum primarium dicitur, circa quod agens principaliter versatur, ut Logicus circa usum rationis; *secundarium* contrà, cui obiter tantùm, aut contingenter agens inhæret, ut Logicus rerum terminis. *Objectum adæquatum* dicitur res tota, circa quam agens occupatur, ut Philosopho sunt omnes simul disciplinæ, Medico omnes morbi; sed *inadæquatum*, quod est pars tantùm illius rei, circa quam agens versatur, ut Philosopho est mathematica, physica, logica, seorsim absque cæteris disciplinis intellecta, Medico unus vel aliqui tantùm morbi, & sic porrò. *Objectum materiale* vocatur materia simpliciter intellecta, circa quam agens occupatur, ut Philosopho sunt res divinæ & humanæ, Physico corpora naturalia, &c. sed *formale* nominatur modus, quo agens circa materiam suam versatur, ut Philosopho est modus tractandi res divinas & humanas, Physico methodus tractandi corpora naturalia. Ubi notandum plures disciplinas passim convenire in objecto materiali, cùm tamen differant in formali,

formali, eaquepropter non immeritò ab invicem discriminentur. Ex. gr. Philosophia convenit cum Theologia in objecto materiali, quòd versetur circa res divinas & humanas, sed non convenit in formali, quoniam aliter circa illas versantur Philosophi, aliter Theologi, illi ex lumine naturæ, hi verò ex lumine gratiæ seu revelationis vestigando.

Qu. 10. *Quid est Signum?*

Resp. Res una aliam significans. Ut *Corona regem, Iris pluviam, &c.*

Qu. 11. *Quotnam sunt differentiæ signorum notabiles?*

Resp. Duæ præsertim:

(1) Aliud est naturale, aliud arbitrarium.

(2) Aliud instrumentale, aliud formale.

Signum naturale dicitur, quod suâ naturâ & per causas necessarias sive physicas aliquid significat, ut iris pluviam, languor corporis morbum, hirundines ver, &c. *Arbitrarium*, quod nonnisi ex institutione hominum aliquid significat, ut sceptrum vel corona regem, hedera suspensa vinum, & ejusmodi; quibus addi debet *signum* ex institutione Dei peculiari aliquid significans, quemadmodum Pascha transitum Angeli per Ægyptum, Sacra cœna passionem Salvatoris, baptisma regenerationem in Christo, iris promissionem Dei ratione di-

luvii, &c. *Signum instrumentale* vocatur, quòd solùm existentiam alicujus rei denotat, sicuti hedera vinum venale, iris pluviam, hirundo tempus vernum, &c. sed *formale*, quòd præter existentiam rei simul formam indicat vel repræsentat, ut *pictura* vel *imago* hominem, aut simile quid.

Qu. 12. *Quid est Circumstantia?*

Resp. Est adjunctum externum quomodocunque rem aliquam concomitans.

Circumstantiæ rerum notabiliores sunt *personæ, locus, tempus, occasio,* & ejusmodi plures, nunc rem aliquam antecedentes, nunc comitantes, nunc consequentes.



CAPUT XVI.

DE CONVENIENTIA & DIVERSITATE.

Qu. 1. *Quid est Convenientia?*

Resp. Est ea rerum conditio (relatio) cùm in aliquo tertio invicem convenire percipiuntur. Ut *Plato & Aristoteles in eo, quod sint philosophi, sol & luna, quòd sint planetæ.*

Si res una cum alia in eodem tertio convenit, ut linea recta & curva, quòd sint longitudines,

dines, numeri 4. & 6. quod ſint pares, &c. hæc convenientia *ſimplex* vocatur; ſi verò res plures cum pluribus in eadem habitudine conveniunt, tunc *convenientia analogica* vel *analogia*, *lati proportio* appellatur, qualis ex. gr. eſt inter aurigam & nauclerum, quia ſicut auriga ſe habet ad currum, ita nauclerus ad navem; vel inter numeros 2. & 3. quia ſicut ſe habet 2. ad 8. ſic etiam 3. ad 12. vel inter os & radicem, quoniam ut os ſe habet ad animal, ſic radix ad plantam.

Qu. 2. Quotuplex eſt Convenientia?

Reſp. Duplex: eſſentialis & accidentalis.

Qu. 3. Quid eſt Convenientia eſſentialis?

Reſp. Si res invicem conveniunt eſſentiâ ſuâ. *Ut Petrus & Paulus in eo quod ſint homines.*

Hæc uno nomine apud Logicos *identitas* rerum vocatur; quæ dein eſt vel *ſubordinata*, cùm res ſive extrema convenientia ſibi invicem in ordine categoriarum ſubordinata ſunt, ſive cùm genus & ſpecies, vel hæc & individua in aliquo tertio conveniunt, ex. gr. Animal & Homo in eo quod ſint corpora viventia, aut Homo in genere & Philoſophus, in eo quod ſint animalia ratione prædita: vel *coordinata*, cùm res ſibi convenientes ſunt coordinatæ, id eſt, in eodem gradu vel genere prædicamentorum collocatæ; ex. gr. Corpus & Spiritus con-

venientes in ſubſtantiâ, planta & animal in corpore vivente, mas & fœmina in animali, & ſic porrò. *Identitas coordinata* rurſus eſt triplex: (1) *Generica*, cùm plures ſpecies ſive infimæ ſive ſubalternæ, earumque individua conveniunt in eodem genere, vel proximo, vel remoto, ex. gr. lupus & ovis in animali bruto, planta & lapis in corpore, homo & ſimia in animali, &c. Res autem, quæ ita ſe habent, dicuntur *eædem genere*. (2) *Specifica*, cùm plura individua conveniunt in eadem ſpecie, ut arbor & frutex in planta, aurum & argentum in metallo, Petrus & Paulus in homine, &c. Res autem, quæ ita ſe habent, dicuntur *eædem ſpecie*. (3) *Numerica*, cùm aliqua res convenit cum ſeipſa, ita Socrates ſenex idem eſt eſſentiâ, qui fuerat juvenis, Paulus Apoſtolus idem, qui modo perſecutor, corpus idem reſurget, quod nunc eſt, &c. Res autem, quæ ita ſe habent *eædem numero* vocantur.

Qu. 4. *Quid eſt Convenientia accidentalis?*

Reſp. Si res invicem conveniunt accidentibus. Ut *ſol & ſtella pulchritudine, aqua & vitrum pelluciditate, &c.*

Hæc convenientia nunc eſt *interna*, cùm res conveniunt attributis internis; nunc *externa*, cùm res conveniunt attributis externis. Illa iterum duplex (*a*) *Similitudo*, cùm res qualitate conveniunt, ut nix & farina colore; (*b*) *Æqua-*

Æqualitas, cùm in quantitate congruunt, ſicut libra auri cum libra argenti, numeri ter 4. & bis 6. quæ poſterior aliàs peculiariter *paritas* nominatur. Deinde *convenientia externa* præſertim ſex admittit modos: (1) cùm *res conveniunt causâ efficiente*, quemadmodum Georgica, Bucolica & Æneidos liber in authore ſuo Virgilio (2) Cùm *res conveniunt fine*, ut Medicus & Chirurgus in ſanitate (3) *effectu*, ut ſutor unus cum alio. (4) *ſubjecto*, ut virtus & vitium, ſanitas & morbus. (5) *objecto*, ut duo libri logici, (6) *adjunctis* aliis externis, veluti ægritudo & amor conveniunt ſigno, pallore ſc. faciei, &c.

Qu. 5. Quid eſt Diverſitas?

Reſp. Eſt ea rerum conditio (relatio) cum in aliquo tertio diſconvenire percipiuntur. Ut *acetum* & *ſaccharum in ſapore.*

Qu. 6. Quotuplex eſt Diverſitas?

Reſp. Etiam duplex: eſſentialis & accidentalis.

Quæ diximus de convenientiâ ſuperius, ea ex contrario de diverſitate intelligi debent, cujus ſc. eadem eſt diviſio, atque ſubdiviſio. *Eſſentialis* dicitur, cùm res differunt eſſentiâ ſuâ, ut ignis & aqua, metallum & lapis, homo & brutum; *accidentalis* contrà, cùm res differunt accidentibus, quemadmodum dives & pauper facultatibus, rex & ſubditi poteſtate, Europæus & Afrus colore, &c. *Eſſentialis* iterum eſt vel

ſubordinata, vel *coordinata*; hæc vel *generica*, vel *ſpecifica*, vel *numerica*. *Accidentalis* iterum eſt nunc *interna* nunc *externa*; illa modo in qualitate, & vocatur *diſſimilitudo*, modo in quantitate, & vocatur *inæqualitas*, ſi fuerit in numero, *imparitas*. *Diverſitas accidentalis* rurſus eſt ſextuplex: (1) Ubi res differunt cauſâ efficiente, quemadmodum ex Bibliis libri canonici & libri apocryphi, Logica Ariſtotelis & Rami, &c. (2) Fine, ut arithmetica & geometria, logica & rhetorica &c. (3) Effectu, ut ignis & aqua, alimentum & venenum &c. (4) Subjecto, ut viſus & auditus, &c. (5) Objecto, ut phyſica & ethica, grammatica & logica, &c. (6) Adjunctis aliis externis, ut *Gaſſendus* & *Epicurus* patriâ, vigilans & dormiens actione, &c.

Qu. 7. *Quid ſunt Oppoſita?*

Reſp. Quæ in eodem tertio ſecundum eandem partem non conveniunt. Ut *album & nigrum*, *calidum & frigidum*.

Qu. 8. *Quot ſunt ſpecies Oppoſitorum?*

Reſp. Quinque: diſparata, contraria, relativè oppoſita, privativè oppoſita, & contradicentia.

Qu. 9. *Quid ſunt Diſparata?*

Reſp. Sunt res plures eodem modo inter ſe differentes. Ut *herba*, *frutex*, *arbor*, *album*, *rubrum*, *viride*, &c.

Qu. 10. *Quid ſunt Contraria?*

Reſp. Sunt res abſolutæ, ſub eodem genere plurimum diſtantes. Ut *virtus & vitium, album & nigrum, magnum & parvum, &c.*

Res quæ ſibi contrariantur, ſive eſſentiâ ſuâ plurimùm diſtant, ſi admittunt medium, ut bellum & pax, album & nigrum, magnum & parvum, &c. vocantur *Contraria mediata*; ſi nullum admittant medium, ut virtus & vitium, bonum & malum, ſanitas & morbus, &c. dicuntur *Contraria immediata.* Præterea medium illud intercedens, quod de utroque contrariorum aut extremorum participat, ſive ex iis mixtum eſt, *medium participationis*, & quod ita ſe habet, ut neutri contrariorum competat, *medium negationis* appellari conſuevit. Ex. gr. Inter calorem & frigus intercedit medium tepor, qui de illorum utroque participat, eſt ergo *medium participationis*; ſed inter avaritiam & prodigalitatem intercedit liberalitas, quæ de neutro iſtorum dici poteſt, unde *medium negationis* appellatur.

Qu. 11. *Quid ſunt relativè oppoſita?*

Reſp. Sunt relata oppoſita. Ut *Dominus & ſervus, Pater & filius, Rex & ſubditi, &c.*

Qu. 12. *Quid ſunt privativè oppoſita?*

Reſp. Quorum hoc tollit, quod alte-

alterum ponit. Ut *visus & cæcitas*, *mors & vita*, *&c.*

Ex *privativè oppositis* alterum ponit habitum aliquem, ut visus, vita, motus; alterum tollit eundem, vel negat, ut cæcitas, mors, quies, &c. Absentia autem ejusmodi habitûs à Logicis *privatio* vocatur.

Qu. 13. *Quid sunt Contradicentia?*

Resp. Quorum unum negat simpliciter, quod alterum affirmat. Ut *ens*, & *non ens*, *pius & impius*, *verum & falsum &c.*

Contradictio vel est *explicita* seu *directa*, vel *implicita* seu *obliqua*; prior vocatur, cùm termini contradictionis sunt apertè negativi, ut homo non homo, utile non utile, certum non certum, &c. posterior contrà, ubi contradictio sub verbis absconditur, non adjectâ voculâ *non*, ex. gr. verùm & falsum, bonum & malum, lapis ligneus, homo irrationalis, & ejusmodi; hæc ultima aliàs *contradictio* in *adjecto*, vel *oppositio in apposito* nuncupatur.



CAPUT XVII.
DE ORDINE.

Qu. 1. *Quid est Ordo?*

Resp. Est ea relatio, cùm aliquid altero

tero prius, vel posterius esse dicitur.

Qu. 2. Quotuplex est Ordo?

Resp. Quintuplex: ordo naturæ, temporis, loci, dignitatis & cognitionis.

Ex. gr. (1) juxta *ordinem naturæ* infantia prior est pueritiâ, hæc prior adolescentiâ, hæc juventute, & sic deinceps. (2) *Ordine temporis* prior est Adamus Caino, Abele, hi priores suis filiis, & sic ulterius. (3) *Ordine loci* prior est onomatologia quam pragmatologia. (4) *Ordine dignitatis* prior est Rex subditis, Theologus philosopho, Senex juvene, &c. (5) *Ordine cognitionis* prior est res simplex compositâ, unitas numero, numeri parvi numeris magnis, grammatica prior logicâ, & sic de aliis.



CAPUT XVIII.

continens

AXIOMATA QUÆDAM CIRCA IDEARUM SELECTUM OBSERVANDA.

I. Objecta perceptionis aut cogitationis omnia attentissimè considerare.

II. In omni contemplatione objectum satis diu, iteratâ vice, ex omni parte, omnique modo, pro posse & nosse expendere.

III. Non

III. Non acquiescere, dum claras, distinctas, & quantum licet perfectas de objecto ideas formaverimus.

IV. Nunquam adeo fidere conceptibus suis, quin etsi quàm clarissimæ videantur ideæ, ulteriùs tamen examinando insistatur.

V. Circa Ideas, quæ ex sensibus oriuntur, valde circumspectum esse, cùm arctissimis illos cancellis coërceri certum sit.

VI. Cumque sensus modo ad vitæ commodum & necessitatem hominibus à Deo concessi videantur, idcirço studiosè observare, quousque sine metu erroris eorum usus se extendere possit.

VII. Quia ab infantia sensibus abuti incœpimus, investigare erroneas, confusas, obscuras ideas, quibus exinde imbuti sumus, easque diligenter expungere ac emendare.

VIII. Cùm vocum ac nominum obscuritas, confusio, ambiguitas, ideas etiam similiter vitiosas inferant, ideoque istos in sermone defectus evitare, ubique terminis perspicuis, planis, & quàm licet simplicissimis utendo.

Finis Libri Primi.

ARS

ARS COGITANDI EROTEMATICA.

LIBER II. DE JUDICIO.

CAP. I. DE JUDICIO IN GENERE.

*Qu. 1. *Quid eſt Judicium?*

Reſp. Eſt actus mentis ideam unam de aliâ affirmantis vel negantis.

Vel eſt *unius ideæ cum aliâ conjunctio, aut disjunctio*; ex. gr. concipio duas ideas *ſolis* & *lucis*, easque cùm naturaliter invicem conveniant, conjungo per affirmationem: *Sol eſt lucidus*; item conceptas ideas *ignis* & *frigoris*, tanquam naturaliter diſconvenientes, ſeparo per negationem: *Ignis non eſt frigidus*.

*Qu. 2. *Quotnam modis conſiderari poteſt Judicium?*

Reſp. Duobus modis: quoad verba, & quoad rem ipſam. Prior

Prior consideratio *externa* s. *verbalis*, posterior *interna* s. *realis* dici meretur; hujus dein respectu judicium aliàs *sententia* l. *axioma*, illius autem intuitu *enunciatio* l. *propositio* vocatur.

**Qu. 3. Quanam sunt partes Judicii?*

Resp. Duæ pluresve ideæ de se invicem affirmatæ vel negatæ.

**Qu. 4. Quomodo illæ in propositione vocantur?*

Resp. Subjectum & prædicatum.

**Qu. 5. Quid est Subjectum propositionis?*

Resp. Est idea vel terminus, de quo aliquid dicitur.

Ex. gr. in hac propositione: *Deus est omnipotens*, subjectum est *Deus*, quem dico existere omnipotentem. Cætera Logici distinguunt inter *subjectum prædicationis* l. *primarium*, & *subjectum accessionis* l. *secundarium*; ex. gr. in hac prop. *Deus, qui est omnipotens, creavit cœlum & terram*, subjectum prædicationis est *Deus*, tanquam primaria idea l. terminus, cui attribuo creavisse cœlum & terram, subjectum accessionis verò est *omnipotens*, quasi terminus secundarius per pronomen relativum adjectus.

**Qu. 6. Quid est Prædicatum propositionis?*

Resp. Est idea vel terminus, qui de alio dicitur.

Ex. gr.

Ex. gr. in superiori propositione: *Deus est omnipotens*, prædicatum est *esse omnipotentem*, quod sc. de Deo tanquam subjecto affirmatur.

Qu. 7. *Quomodo procedendum est in investigatione subjecti & prædicati datæ propositionis?*

Resp. Ad sensum potius, quàm terminorum dispositionem attendendo.

Terminus subjecti licèt vulgò priorem occupet locum, & terminus prædicati posteriorem, nihilominus posthabito isto situ potius ad sensum propositionis datæ respiciendum, si accuratè ab invicem distingui debeant. En exempla quædam: *Oderunt peccare boni virtutis amore. Nobilitas sola est atque unica virtus. Ornat artes, omnemq; disciplinam veritas. Odii plenam exercet artem, veritati qui studet; Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia.*

**Qu.* 8. *Quomodo cohæret subjectum & prædicatum in Propositionibus?*

Resp. Mediante copula verbali.

Quò ideæ subjecti & prædicati conjungantur vel disjungantur, intercedit verbum *est*, vel simile, non distinctam propositionis partem, sed nexum utriusque tantùm efficiens. Verùm in multis propositionibus *copula verbalis* cum *prædicato* simul unâ eademque dictione exprimitur; ex. gr. *Deus mundum gubernat*; imò nonnunquam integræ propositiones unâ simplicique voce constant, velut istæ: *Ningit, pluit, tonat,*

tonat, veni, vidi, vici, &c. Deinde *copula verbalis* nunc ſimpliciter conjungit vel disjungit partes propoſitionis, ut in hoc exemplo: *Mundus eſt finitus,* nunc addito quodam modo, ut *Mundus neceſſario eſt finitus.*

Qu. 9 *Quotuplices ſunt differentiæ propoſitionum?*

Reſp. Duplices: abſolutæ & relatæ.

Qu. 10. *Quotnam ſunt differentiæ Propoſitionum abſolutæ?*

Reſp. Septem præcipue:

(1) Alia eſt ſimplex, alia compoſita.

(2) Alia affirmativa, alia negativa.

(3) Alia univerſalis, alia particularis, alia ſingularis.

(4) Alia vera, alia falſa.

(5) Alia pura, alia modalis.

(6) Alia perſpicua, alia obſcura.

(7) Alia diſtincta, alia confuſa.

CAPUT II.

DE PROPOSITIONIBUS SIMPLICIBUS.

**Qu.* 1. *Quid eſt Propoſitio ſimplex?*

Reſp. Quæ uno conſtat ſubjecto, & uno prædicato. Ut *Deus eſt perfectiſſimus.* *Qu.*

Qu. 2. *Quomodo dividuntur Propositiones simplices?*

Resp. In purè simplices, & complexas.

Purè simplices dicuntur, in quibus subjectum & prædicatum uno simplicique termino exprimitur, ex. gr. *Virtus est honesta*; *complexæ* autem, in quibus subjectum vel prædicatum (licet unum) termino nihilominus complexo exprimitur, ut in hoc exemplo: *Ecclesia, quæ Christi est, sancta est.*

Qu. 3. *Quomodo vocatur terminus subjecto vel prædicato per accidens conjunctus?*

Resp. Terminus secundarius vel accedens, interdum propositio incidens.

Propositio incidens in examine dati exempli quoad veritatem, seorsim à *primariâ propositione* est consideranda, cùm utraque sejunctim per se vera aut falsa esse possit; veluti in hoc exemplo: *Aristoteles, qui nunquam erravit, græcus fuit*, propositio primaria quidem vera, incidens autem falsa est; atque vice versâ in hoc: *Aristoteles, qui fuit græcus, nunquam erravit.*

Qu. 4. *Quotnam modis Propositio potest esse complexa?*

Resp. Quatuor modis:

(1) A parte subjecti, ex. gr. *Alexander, qui fuit regum fortissimus, Darium superavit.*

(2) A parte prædicati, ex. gr. *Alexander superavit Darium, qui erat rex Persiæ.*

(3) A parte subjecti & prædicati simul, ex. gr. *Herennius, qui fuit ab Antonio missus, Ciceronem jugulavit, oratorum longè facundissimum.*

(4) A parte copulæ verbalis, ex. gr. *Virtus jubet odisse mundum.*



CAP. III.

DE PROPOSITIONIBUS COMPOSITIS.

Qu. 1. Quid est Propositio composita?

Resp. Quæ subjectis vel prædicatis pluribus constat. Ut *Deus creavit cælum & terram.*

Tribus autem modis propositio composita esse potest (1) à parte subjecti, ut *mors & vita sunt in manibus linguæ.* (2) à parte prædicati, ex. gr. *Et prodesse volunt & delectare Poëtæ.* (3) à parte subjecti & prædicati simul, ut *avarus & superbus sibi & proximo nocent.*

Qu. 2. *Quotuplices sunt Propositiones composita?*

Resp. Duplices: explicitæ seu expressæ, & implicitæ seu exponibiles.

Quæ propositiones habent subjectum vel prædicatum apertè compositum *explicitæ* vel *expressæ* dicuntur, ut *Deus creavit cælum & terram*; quarum verò compositio sub verbis delitescit, ac in sensu tantum deprehenditur, illæ vulgò *implicitæ* vel *exponibiles* nominantur, ut *Solus Deus est sapiens*.

DE PROPOSITIONIBUS EXPRESSE COMPOSITIS.

Qu. 3. *Quotnam sunt Propositiones expressè composita?*

Resp. Sex: copulativa, conditionalis, disjunctiva, discretiva, relativa & causalis.

Qu. 4. *Quid est Propositio copulativa?*

Resp. Cujus partes conjungunt voculæ copulativæ. Ut *mors & vita sunt in manibus linguæ.*

Ad veritatem propositionis copulativæ requiritur, vel (1) ut *singula subjecta conveniant eidem prædicato*, vel (2) *singula prædicata eidem subjecto*, vel (3) *singula subjecta singulis prædicatis*. Contra quos canones istis exemplis pec-

caretur (*a*) *Corpus & anima hominum est immortalis.* (*b*) *Omnis homo vivit, sentit ac sapit.* (*c*) *Cœlum & terra sunt infinita, & à Deo creata.*

Qu. 5. Quid Propositio conditionalis?

Resp. Cujus partes conjungit vocula conditionalis. Ut *si Deus est, tunc mundus regitur providentiâ.*

Ea pars propositionis conditionalis, quæ conditionem continet, *antecedens*, altera quæ conditionatum, *consequens*, & utriusque nexus *consequentia* dicitur. Veritatem propositiones hypotheticæ modo conditionalem habent, unde valor ipsarum nonnisi à partium nexu congruo dependet, sive dein antecedens & consequens per se sit verum, sive falsum; ex. gr. *Si anima est corporea, tunc mortalis*, hæc propositio vera est, etsi nec antecedens, nec consequens absolutè sit verum; vice versâ cùm sequenti se res habet: *Si Aristoteles fuit græcus, tunc doctus*, hæc falsa est, etsi antecedens & consequens per se sint verissima.

Qu. 6. Quid disjunctiva?

Resp. Cujus partes conjungunt voculæ disjunctivæ, ex. gr. *Aut Deo serviendum, aut mundo.*

Ad veritatem propositionis disjunctivæ requiritur (1) ut *prædicati membrum aliquod subjecto*, vel vice versa *membrum aliquod subjecti prædicato conveniat* (2) ut *membra disjunctionis sint opposita* (3) ut *membra sint perfectè enumerata;*

rata; contra quos canones istis exemplis peccaretur (*a*) *Forma vel est corpus, vel spiritus.* (*a*) *Aut esurit aut sitit homo.* (*c*) *Omnis homo vel pauper est, vel dives.*

Qu. 7. *Quid discretiva?*

Resp. Cujus partes conjungunt voculæ discretivæ. Ut *cœlum non animum mutant qui trans mare currunt.*

Ad veritatem istius propositionis requiritur (1) *ut ejus thesis per se sit vera* (2) *ut antithesis perinde sit vera* (3) *ut ipsa discretio adhibita sit congrua*; contra quos canones istis exemplis peccaretur (*a*) *Homo licet infallibilis, tamen est mortalis* (*b*) *Reges etsi mortales attamen sunt colendi* (*c*) *Vinum etsi salubre nihilominus est bibendum.*

Qu. 8. *Quid relativa?*

Resp. Cujus partes conjungunt voculæ relativæ. Ut *ubi thesaurus ibi hominum corda.*

Species propositionum relativarum sunt variæ, (1) *ubi fit comparatio loci*, ex. gr. *ubi bella, ibi calamitates*, (2) *qualitatis*, ut *qualis rex, talis grex*, (3) *quantitatis*, ut *quantæ hominum opes, tanta superbia*, (4) *temporis*, ut *cùm fueris felix, multos numerabis amicos, cùm fueris pauper, solus eris*, (5) *numeri*, ex. gr. *quot capita, tot sensus.* Ad veritatem propositionis relativæ cumprimis requiritur, ut comparatio inter partes rectè sit instituta, contra quem canonem

ſequenti exemplo peccaretur: *quanta hominum dignitas, tanta eorum merita.*

Qu. 9. *Quid cauſalis?*

Reſp. Cujus partes conjungunt voculæ cauſales. Ut *beati pauperes ſpiritu, quia ipſorum eſt regnum cœlorum. Matth. V. 3.*

Ad veritatem propoſitionis cauſalis requiritur (1) *ut theſis prior per ſe ſit vera.* (2) *ut theſis poſterior conveniat ſubjecto prioris per ſe,* (3) *ut theſeos ratio ſit genuina*; contra quos canones ita peccaretur. (*a*) *Beati divites, quoniam ex animi ſententia vivunt.* (*b*) *Optandæ divitiæ, quia ſunt ſalutares,* (*c*) *Fortunati philoſophi, quia in mundo celebres.*

DE PROPOSITIONIBUS SENSU COMPOSITIS.

Qu. 10. *Quotnam ſunt Propoſitiones ſenſu compoſitæ?*

Reſp. Etiam ſex: excluſiva, exceptiva, comparativa, inceptiva, continuativa & deſitiva.

Qu. 11. *Quid eſt Propoſitio excluſiva?*

Reſp. Cujus ſubjectum vel prædicatum admittit particulam excluſivam. Ut *ſolus Deus eſt adorandus.*

Ad veritatem propoſitionis excluſivæ requiritur, ut cùm ex duabus implicitè conjunctis con-

conſtet, utraque earum abſolutè ſit vera, hoc eſt, (1) ut *prædicatum ſubjecto ſimpliciter conveniat* (2) ut *ipſi ſoli*, aut vice verſâ *ſubjecto prædicatum ſolum*; contra quos canones ita peccaretur (*a*) *Solus homo eſt infallibilis* (*q*) *Solus homo eſt mortalis.*

Qu. 12. *Quid exceptiva?*

Reſp. Cujus ſubjectum vel prædicatum admittit particulam exceptivam. Ut *omnia ſunt vana, præter amare Deum.*

Ad veritatem propoſitionis exceptivæ requiritur, ut cùm ex duabus implicitè conjunctis conſtet, utraque earum abſolutè ſit vera, hoc eſt, (1) ut *prædicatum ſubjecto in tantum conveniat* (2) ut *non ei parti, quæ excepta eſt*; contra quos canones ita peccaretur (*a*) *Omnes homines ſapiunt, exceptis infantibus* (*b*) *Omnes homines valent, præter ſenes.*

Qu. 13. *Quid comparativa?*

Reſp. Cujus ſubjectum aut prædicatum admittit terminum comparativum. Ut *Pietas eſt maximus vitæ theſaurus.*

Ad hujus veritatem requiritur (1) ut *prædicatum ſubjecto conveniat ſimpliciter* (2) ut *comparativus terminus ſit rectè adhibitus*; contra quos canones ita peccaretur (*a*) *Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt.* (*b*) *Regibus placuiſſe ſumma laus eſt.*

Qu. 14. *Quid inceptiva?*

Resp. Cujus subjectum vel prædicatum admittit terminum inceptivum. Ut *monarchia romana sub Augusto cœpit.*

Ad veritatem hujus requiritur (1) ut *prædicatum subjecto conveniat simpliciter* (2) ut *inceptivus terminus sit bene adhibitus*; contra quos canones ista peccaretur (*a*) *Peccata incipiunt esse licita*, (*b*) *Peccata incipiunt esse prohibita.*

Qu. 15. *Quid continuativa?*

Resp. Cujus subjectum aut prædicatum admittit terminum continuativum. Ut *pergunt bellare reges.*

Ad veritatem hujus requiritur (1) ut *prædicatum subjecto simpliciter conveniat* (2) ut *terminus continuativus sit recte adhibitus*; contra quos canones ita peccaretur (*a*) *Pergunt divites esse beati* (*b*) *Pergit mori aliquis.*

Qu. 16. *Quid desitiva?*

Resp. Cujus subjectum aut prædicatum admittit terminum desitivum. Ut *qui concipit sapientiam, desinit esse miser.*

Ad veritatem propositionis desitivæ requiritur (1) ut *prædicatum subjecto suo conveniat simpliciter* (2) ut *antea fuerit, quod nunc finiri dicimus* (3) ut *jam revera cesset, quòd ante fuerat*; contra quos canones ita peccaretur (*a*) *Morbi desinunt esse salutares* (*b*) *Desinit mors esse jucunda* (*c*) *Bella non amplius sunt calamitosa.*

CAPUT IV.

DE

PROPOSITIONUM AFFIRMATIONE ET NEGATIONE.

* *Quid est Propositio affirmans?*

Resp. Quæ cum subjecto prædicatum conjungit. Ut *corpus humanum est mortale.*

Conditio propositionum respectu affirmationis & negationis earum *qualitas appellatur.*

**Qu.* 2. *Quid negans?*

Resp. Quæ prædicatum à suo subjecto disjungit. Ut *anima non est mortalis.*

Negatio nunc est *aperta*, ut in exemplo præcedente, nunc *occulta* aut *virtualis* tantùm, ut *vitium est fugiendum.*

Qu. 3. *Quomodo dividuntur aliàs propositiones sive affirmantes sive negantes?*

Resp. In finitas & infinitas.

Propositio finita dicitur, cujus subjectum est definitè expressum, ut *doctrina baculus dicier vitæ potest; infinita* autem, cujus subjectum indefinitè est expressum, ut *non entis nullæ sunt proprietates.*

Qu. 4.

**Qu.* 4. *Quodnam eſt fundamentum affirmationis & negationis?*

Reſp. Perceptio quam habemus de convenientia aut diſconvenientia rerum inter ſe.

Quas res invicem naturaliter convenire percipimus, earum ideas perpetuò conjungimus, & quas naturaliter diſcrepare intelligimus, has conſtanter judicio ſeparamus.



CAPUT V.

DE PROPOSITIONUM UNIVERSALITATE PARTICULARITATE ET SINGULARITATE.

**Qu.* I. *Quomodo dividuntur Propoſitiones reſpectu extenſionis ſui ſubjecti?*

Reſp. In univerſales particulares & ſingulares.

Conditio propoſitionum quoad extenſionem ſubjecti earum *quantitas* vocatur.

**Qu.*2. *Quid eſt Propoſitio univerſalis?*

Reſp. Cujus ſubjectum eſt univerſaliter ſumptum. ℒ Ut *omne bonum eſt amabile.*

Univerſalitas nunc eſt *metaphyſica*, ubi ſubjectum

ctum accipitur in omni suâ extensione, citra ullam exceptionem, ut *omne corpus est mobile*; nunc *physica*, ubi non datur exceptio, nisi quoad statum præternaturalem, ut *omnis homo est bipes*; nunc *moralis*, cùm subjecto quoad majorem tantùm partem intellecto, non paucæ occurrunt exceptiones, ut *omnes ægri sunt impatientes*. Deinde Propositionum universalium alia est *definita*, cujus subjectum admittit notam universalitatis affirmativam seu negativam ex. gr. *Omnis virtus est salutifera. Nulla vanitas est salutifera*. Alia *indefinita*, cujus subjectum nullâ universalitatis notâ afficitur, ut *Parentes sunt honorandi, mendacium non est dicendum*.

*Qu. 3. *Quid particularis?*

Resp. Cujus subjectum est particulariter sumptum. Ut *aliquis homo est probus*.

*Qu. 4. *Quid singularis?*

Resp. Cujus subjectum est singulare. Ut *Salomon fuit regum sapientissimus*.

CAPUT VI.

DE PROPOSITIONUM VERITATE ET FALSITATE.

*Qu. 1. *Quotnam modis considerari potest veritas?*

Resp. Duobus modis: absolutè & relatè ad mentem nostram.

Qu. 2.

**Qu.* 2. *Quid est veritas in se & absolutè spectata?*

Resp. Ipsa rerum omnium essentia & existentia.

Hæc veritas æterna est ac perfectissima, utpote Deum ipsum authorem habens.

**Qu.* 3. *Quid est veritas respectu nostri?*

Resp. Convenientia judicii nostri cum rebus ipsis.

Lapsus primorum parentum exitialem menti nostræ caliginem adspersit. Dein educatio institutioque mala, aspectus mundi, popularis conversatio, affectuum impetus, sensuum crassities, & sexcentæ insidiantes causæ tantas animo circumfundunt tenebras, ut omnibus etiam admotis viribus ægrè tamen veritatis lucem consequamur.

**Qu.* 4. *Quinam sunt veritatis fontes?*

Resp. Duo lumina, alterum revelationis, alterum rationis.

**Qu.* 5. *Quid est lumen revelationis?*

Resp. Est rerum salutarium notitia á Deo mortalibus gratiosè dictata.

Deus est ens perfectissimum, ergo & veracissimum, igitur quicquid ab eo mediatè vel immediatè innotescit, supremam habet certitudinem, tantumque abest, ut de eo dubitare fas sit, ut potius cùm integerrimâ devotione & perfectâ cordis simplicitate illius veritas sit amplectenda.

*Qu. 6.

*Qu. 6. Quotuplex est revelatio?

Resp. Duplex: immediata & mediata.

Immediatum dictamen à Deo T. O. M. contigit Moyse in monte Sinai, dein passim Prophetis, Evangelistis & Apostolis à Spiritu Sancto, & à Christo. Nobis utut maximè indignis gratia revelationis mediatè indulgetur per Sacram Scripturam, ceu perfectissimum salutaris notitiæ thesaurum, cujus divinitas præterquam quòd apud Theologos inconcussis astruitur argumentis, vel ex eo efficaciter innotescit, tùm quòd Dei rerumque divinarum idea longè perfectissima ibi vivis coloribus sit depicta, tùm quòd præceptorum mirificus ad Dei gloriam, nostramque salutem consensus, omniumque adeo dictorum ineffabilis omnino vis ultrò dictante conscientia percipiatur.

*Qu. 7. Quid est Lumen rationis?

Resp. Est connata hominibus intelligendi facultas.

Intellectus noster Deum pro authore habet, hic autem nec falli nec fallere potest, ergo quicquid ex genuino rationis dictamine intelligimus, omnino certum est; ut brutæ sententiæ sint accusandi, quicunque Scepticorum nihil plane ab hominis mente sciri aut comprehendi posse existimarunt.

*Qu. 8. *Quodnam est criterium certitudinis eorum, quæ per rationem intelliguntur?*

Resp. Evidentia conceptûs nostri.

Quicquid mens evidentissimè concipit, omninò certum est, quia Deus ceu mentis author nec falli nec fallere potest. Jam suprema est evidentia, quâ mens se ipsam existere judicat. Igitur ad hanc normam cætera nostra judicia sunt exigenda, ut quæ perinde evidentia solidaque sunt, pro indubitatè veris agnoscantur. Atque ex. gr. cùm Dei existentiam ex multis argumentis æquè evidenter & solidè concipiam, ac mei ipsius sum compos, ideoquè τὸ *Deus est* pro indubitato axiomate devotus agnosco. Cæterarum rerum cognitiones quò longiùs ab isto persuasionis columine recedunt, tanto minus momentum certitudinis habent.

*Qu. 9. *Quid igitur est Propositio vera?*

Resp. Quæ ideas rerum conjungit vel disjungit, secundum naturalem earum convenientiam vel disconvenientiam.

Propositio falsa ex opposito intelligitur.

*Qu. 10. *Quomodo dividuntur Propositiones respectu evidentiæ diversæ?*

Resp. In certas, probabiles, paradoxas atque dubias.

(a) *Propositio certa* dicitur, cujus veritas perfectè

fectè demonstrari potest, ita ut nullum supersit dubium, ex. gr. *Omne corpus est divisibile* (*b*) *Probabilis*, cujus veritas ut non sit extra omnes difficultates collocata, pluribus tamen argumentis probari potest, ex. gr. *Dantur incolæ planetarum cœli.* (*c*) *Paradoxa, quæ licèt speciem gerat falsitatis, nihilominus vera est*, ut *sol est major terrâ.* (*d*) *Dubia*, quæ ex utraque parte æquè validis argumentis suspenditur, ut an *febricitans sit moriturus, nec ne?*

*Qu. 11. *Quid est Axioma?*

Resp. Est propositio certissima per se cuilibet innotescens. Ut *totum est majus sua parte.*

Axiomata à Philosophis distinguuntur in *ethica*, ut *omne bonum est amandum*, *mathematica*, ut *quæ conveniunt in uno tertio, ea etiam inter se conveniunt*, *physica*, ut *omne corpus est mobile*, & sic porrò.

*Qu. 12. *Quemnam usum habent Axiomata?*

Resp. Sunt judicia fundamentalia, quibus alia atque alia per discursum inædificantur.

CAP. VII.

DE

PRÆJUDICIIS SEU OPINIONIBUS.

**Qu.* 1. *Quotuplex est judicium falsum?*

Resp. Duplex: mendacium & opinio.

Mendacium est propositio apertè falsa, ut *homo est immortalis*; *opinio* autem est propositio speciem veri habens, cùm nihilominus sit falsa, ut *honores, divitiæ, dignitates &c. sunt ambiendæ.* Opiniones alioquì *Præjudicia* vocantur.

**Qu.* 2. *Quænam sunt Præjudiciorum causæ?*

Resp. Innumerabiles.

Corruptio mentis per lapsum Adami, propagatio affectuum à Parentibus in liberos, sociatio mentis cum corpore, judicandi celeritas ab incunabulis consueta, educatio negligens, institutio mala, popularis conversatio, sensuum abusus, & affectuum impetus sunt præcipui *fontes*, ex quibus præjudicia infinito eheu! numero scaturiunt. *Quid mirum, si inter tot corruptores atq; insidias ratio interdum vacillet? si paucissimi hominum veritatis lucem consequantur?* Errare scil. humanum est, neminique licèt esse tam felici, quin aliquando decipiatur.

**Qu.* 3. *Quid effecit Lapsus Adami?*

Resp. Menti caliginem adspersit, ut in lustrandâ veritate passim cæcutiret.

Qu. 4.

*Qu. 4. *Quid Affectus à parentibus jure hæreditatis accepti?*

Resp. Eandem animo dispositionem & præjudicia imprimunt, quibus illi laborârunt.

*Qu. 5. *Quid sociatio Mentis cum corpore rationi obest?*

Resp. Motus organorum varii ac turbulenti sæpe officiunt Mentis tranquillitati & attentioni.

*Qu. 6. *Quid judicandi celeritas seu præcipitantia efficit?*

Resp. Judicia immatura ac multoties falsa animo extrudit.

*Qu. 7. *Quid negligentia educationis?*

Resp. Animus accurato duce carens undique vitiatur, & cum populo turpiter aberrat.

*Qu. 8. *Quid institutio vitiosa?*

Resp. Ingenium turbat, rationemque confundit.

*Qu. 9. *Quid conversatio popularis?*

Resp. Animo præjudicia & errores crassissimos inculcat.

*Qu. 10. *Quid Sensus?*

Resp. Sensus mentem avocant à seipsâ, ac in placidis suis operationibus perturbant.

*Qu. 11. *Quid tandem Affectus rationi nocent?*

Resp. Affectus pravi rationem perturbant, ac in mille errores abducunt.



CAP. VIII.

DE

PRÆJUDICIIS, QUÆ ORIUNTUR EX AFFECTIBUS ANIMI.

*Qu. 1. *Quinam ex Affectibus animi sunt maximè exitiales?*

Resp. Philautia, heterophilia, odium, ira, ſuperbia, metus, gaudium, mœror, ambitio & avaritia.

*Qu. 2. *Quid efficit Philauthia?*

Resp. Nimiam ſui exiſtimationem, aliorum contemptum, ſui negligentiam, circa vitia propria cæcitatem, in judicando præcipitantiam, & innumerabiles exinde errores.

*Qu. 3. *Quid Amor mundi?*

Resp. Honoris, gloriæ, opum, dignitatum cupidinem, virtutis & religionis neglectum, vana ſtudia, oſtentationes inanes, verbo exitialem animi ſtultitiam.

Qu.

*Qu. 4. *Quid Amor erga alios nimius?*

Resp. Virtutis eorum exaltationem, errorum patrocinium, turpem in omnibus complacentiam, imitationem cæcam, & quæ sunt ejusmodi plura.

*Qu. 5. *Quid Odium?*

Resp. Malas de inimico suspiciones, nocendi studium, vota pessima, calumnias machinationesque malignas.

*Qu. 6. *Quid Ira?*

Resp. Grassandi libidinem, maledictiones persecutionesque acerbas, audaciæ & injustitiæ quodvis genus, verbo brutam animi ferociam.

*Qu. 7. *Quid Superbia?*

Resp. Sui jactantiam, aliorum contemptum, errandi licentiam, imperandi libidinem, honorum, gloriæ omniumque vanitatum amorem.

*Qu. 8. *Quid Metus?*

Resp. Abjectionem animi, suspiciones inanes, latebrarum captationem, & ejusmodi plura.

*Qu. 9. *Quid Gaudium nimium?*

Resp. Loquendi agendique licentiam, non sine virtutis ac veritatis neglectu.

*Qu. 10. *Quid Mæror excessivus?*

Resp. Diffidentiam in Deum, in alios, & in seipsum, non sine virtutis oblivione.

*Qu. 11. *Quid ambitio?*

Resp. Hypocrysiam, adulationes machinationesque malignas, sui jactantiam, aliorum extenuationem, & verbo pestiferam animi corruptionem.

*Qu. 12. *Quid avaritia?*

Resp. Insatiabilem opum & possessionum cupidinem, lucriferam errandi licentiam, divitum existimationem, pauperum contemptum, & exitialiem virtutis jacturam.

*Qu. 13. *Quænam est gravissima mentis corruptio?*

Resp. Quæ ex affectibus pluribus combinatis oritur.

Ista mundanorum hominum est lues, qui ut animum pravis affectibus corruptissimum habeant, nihilominus damnando hypocrisiæ adminiculo speciem probitatis ferentes, omnia in temporales suos convertunt usus, tanquam in horum emolumento summum quærentes bo-

num, non sine Dei ac æternitatis exitiali oblivione, salutisque olim suæ certissimâ jacturâ.

*Qu. 14. *Quænam conveniunt remedia ad genuinum rationis usum sibi vendicandum?*

Resp. Imploratio Numinis frequens, ethices christianæ studium, sapientum proborumque imitatio, animi à rebus mundi subtractio, meditatio diligens, in affectibus temperantia, in victu sobrietas, & quæ alia ex sacris fontibus salutaria innotescunt medicamina.



CAPUT IX.

DE

PROPOSITIONE PURA ET MODALI.

Qu. 1. *Quid est Propositio pura?*

Resp. Quæ aliquid simpliciter affirmat vel negat. Ut *Milites pro patria certant.*

Qu. 2. *Quid modalis?*

Resp. Quæ non sine modo aliquid affirmat, vel negat. Ut *Milites debent pro patria certare.*

Species propositionum modalium innumeræ sunt, cùm affirmatio vel negatio infinitis modis complexa esse possit. Quatuor autem præcipuè in Logicorum scholis recensentur modi *necesse*, *contingens*, *possibile* & *impossibile*, quos exempla declarant ista (*a*) *Necesse est esse bella in mundo* (*b*) *Contingens est in pacem rediisse Helvetiam nostram.* (*c*) *Possibile est, ut nunc moriar* (*d*) *Impossibile est, ut sim in hac terra beatus.*



CAPUT X.

DE

PROPOSITIONUM CLARITATE, OBSCURITATE, &c.

**Qu.* 1. *Quænam sunt alia Propositionum accidentia?*

Resp. Claritas, obscuritas, distinctio, confusio, & ambiguitas.

**Qu.* 2. *Quid est Propositio clara?*

Resp. Quæ perspicuam significationem habet. Ut *Sol splendet.*

**Qu.* 3. *Quid obscura?*

Resp. Quæ minùs dilucidam significationem habet. Ut *Natura nihil facit frustra.*

Qu. 4.

**Qu.* 4. *Quid distincta?*

Resp. Quæ distinctè unum de alio affirmat, vel negat. Ut *Veritas odium parit.*

**Qu.* 5. *Quid confusa?*

Resp. Quæ non distinctè unum de alio affirmat, vel negat. Ut *Princeps philosophorum censuit mundum esse æternum.*

**Qu.* 6. *Quid ambigua?*

Resp. Quæ dubiam significationem habet. Ut *ajo te aacida romanos vincere posse.*



CAP. XI.

DE

DIFFERENTIIS PROPOSITIONUM RELATIS.

Qu. 1. *Quot sunt differentiæ Propositionum, si relativè ad se invicem considerentur?*

Resp. Quatuor præsertim: aliæ sunt æquipollentes, aliæ coordinatæ, aliæ subordinatæ, aliæ oppositæ.

Species propositionum modalium innumeræ sunt, cùm affirmatio vel negatio infinitis modis complexa esse possit. Quatuor autem præcipuè in Logicorum scholis recensentur modi *necesse*, *contingens*, *possibile* & *impossibile*, quos exempla declarant ista (*a*) *Necesse est esse bella in mundo* (*b*) *Contingens est in pacem redi-isse Helvetiam nostram.* (*c*) *Possibile est, ut nunc moriar* (*d*) *Impossibile est, ut sim in hac terra beatus.*



CAPUT X.

DE

PROPOSITIONUM CLARITATE, OBSCURITATE, &c.

**Qu.* I. *Quænam sunt alia Propositionum accidentia?*

Resp. Claritas, obscuritas, distinctio, confusio, & ambiguitas.

**Qu.* 2. *Quid est Propositio clara?*

Resp. Quæ perspicuam significationem habet. Ut *Sol splendet.*

**Qu.* 3. *Quid obscura?*

Resp. Quæ minùs dilucidam significationem habet. Ut *Natura nihil facit frustra.*

Qu. 4.

**Qu.* 4. *Quid distincta?*

Resp. Quæ distinctè unum de alio affirmat, vel negat. Ut *Veritas odium parit.*

**Qu.* 5. *Quid confusa?*

Resp. Quæ non distinctè unum de alio affirmat, vel negat. Ut *Princeps philosophorum censuit mundum esse æternum.*

**Qu.* 6. *Quid ambigua?*

Resp. Quæ dubiam significationem habet. Ut *ajo te æacida romanos vincere posse.*



CAP. XI.

DE

DIFFERENTIIS PROPOSITIONUM RELATIS.

Qu. 1. *Quot sunt differentiæ Propositionum, si relativè ad se invicem considerentur?*

Resp. Quatuor præsertim: aliæ sunt æquipollentes, aliæ coordinatæ, aliæ subordinatæ, aliæ oppositæ.

Qu. 2. *Quid sunt Propositiones æquipollentes?*

Resp. Quæ verbis discrepantes sensu conveniunt. Ut *cedant arma togæ, virtus militaris cedat politicæ.*

Qu. 3. *Quid coordinatæ?*

Resp. Quæ sensu discrepantes non tamen se tollunt. Ut *Deus est colendus, Proximus est amandus.*

Qu. 4. *Quid subordinatæ, vel subalternæ?*

Resp. Quæ solùm discrepant subjecti sui extensione. Ut *omnis virtus est amabilis, aliqua virtus est amabilis.*

Qu. 5. *Quid sunt Propositiones oppositæ?*

Resp. Quarum una affirmat, quod altera negat. Ut *nullum mendacium est licitum, aliquod mendacium est licitum.*

Qu. 6. *Quotuplices sunt Propositiones oppositæ?*

Resp. Duplices: contrariæ & contradictoriæ.

Qu. 7. *Quid sunt Propositiones contrariæ?*

Resp. Duæ propositiones universales, quarum una affirmat, quod altera negat. Ut *omne corpus est visibile, nullum corpus est visibile.* Pro-

Propositiones contrariæ nunc simul falsæ sunt, ut modo positæ, nunc *altera falsa, altera vera est*, ut *omne corpus est extensum, nullum corpus est extensum*.

Qu. 8. Quomodo vocantur Propositiones duæ particulares, si quantitate conveniant, ac differant qualitate?

Resp. Subcontrariæ vel indefinitè oppositæ. Ut *aliquis homo est pius, aliquis homo est impius*.

Hujusmodi propositiones reipsa contrariæ non sunt, cùm non utrobique idem intelligatur subjectum; ideoque nunc earum utraque est vera, ut *aliquis homo est pauper, aliquis homo non est pauper*; nunc altera vera, altera falsa, ut *quidam homo est mortalis, quidam non est mortalis*. Nunquam utraque falsa esse potest.

Qu. 9. Quid sunt Propositiones contradictoriæ?

Resp. Quarum una necessariò vera, altera falsa est. Ut *anima hominum est materialis, anima hominum est immaterialis*.

Contradictio nunc est (1) inter propositionem universalem & particularem, ut *omne corpus est mobile, non omne corpus est mobile*; nunc (2) inter duas singulares, ut *Aristoteles fuit fallibilis, Aristoteles non fuit fallibilis*. Contradicentium verò altera semper vera est, altera sem-

per falsa, juxta illud: *Quodlibet est, aut non est.*



CAP. XII.

DE PROPOSITIONUM CONVERSIONE.

Qu. 1. *Quid est Propositionum conversio?*

Resp. Est transpositio prædicati in locum subjecti, salvâ manente propositionis veritate. Ut *nullum vitium est licitum, nullum licitum est vitium.*

Propositio, quæ debet commutari, *convertenda*, altera verò *conversa* dicitur.

Qu. 2. *Quotuplex est Conversio propositionum?*

Resp. Triplex: conversio simplex, conversio per accidens, & conversio per contrapositionem.

Tres istas conversionum species aliqui seqq. versiculis expressere: *Feci simpliciter convertitur, Eva per acci, Asto per contra, sic fit conversio tota.*

Qu. 3. *Quid est conversio simplex?*

Resp. Quæ relinquit quantitatem & quali-

qualitatem propositionis. Ut *nullum corpus est infinitum, nullum infinitum est corpus.*

Conversio simplex alias *reciprocatio* dicitur; & locum habet (1) in propositione universali negante, ut *nulla veritas est violabilis, nullum violabile est veritas.* (2) In propositione particulari affirmante, ut *aliquis senex est sapiens, aliquis sapiens est senex.*

Qu. 4. *Quid est Conversio per accidens?*

Resp. Quæ relictâ propositionis qualitate ejus quantitatem diminuit. Ut *omnis avaritia est peccaminosa, aliquod peccaminosum est avaritia.*

Hujusmodi conversio unicè locum habet in propositione universali affirmante.

Qu. 5. *Quid Conversio per contrapositionem?*

Resp. Quæ subjecto & prædicato propositionis convertendæ substituit utriusque contradictorium. Ut *omnis pius est felix, omnis non felix est non pius.*


Locum habet in propositione universali affirmante.

Qu. 6. *Quænam sunt Conversionis regulæ?*

Resp. Duæ potissimum.

(1) Ut vocabulorum significatio accuratè conservetur; contra hanc ita peccaretur: *Incola*

colæ ſunt in urbe, urbs eſt in incolis. Corr. *Quoddam, quod eſt in urbe, ſunt incolæ.* (2) Ut totum prædicatum cum toto ſubjecto convertatur; contra hanc ita peccaretur: *Omnis mortuus fuit vivus, aliquis vivus fuit mortuus.* Corr. *Aliquis, qui fuit vivus, eſt mortuus.*



CAPUT XIII.

DE
DEFINITIONE.

* *Qu.* 1. *Quid eſt Definitio?*

Reſp. Eſt alicujus objecti breviſſima explicatio.

Duæ propoſitionum ſpecies in Logica præſertim ſunt notabiles, *definitio* atque *diviſio*, utraque ad veritatis veſtigationem utiliſſimæ, docentibus ac diſcentibus æquè neceſſariæ.

* *Qu.* 2. *Quotuplex eſt Definitio?*

Reſp. Duplex: alia nominis, alia rei.

DE DEFINITIONE NOMINIS.

**Qu.* 3. *Quid eſt definitio nominis?*

Reſp. Quæ nomen explicat. Ut *philoſophia eſt amor ſapientiæ.*

Definitiones verbales neceſſariæ ſunt, ad vocum obſcuritatem & ambiguitatem tollendam, adeoque ad logomachias præcavendas.

**Qu.* 4.

*Qu. 4. *Quotnam modis definiuntur nomina rerum?*

Resp. Tribus modis.

(1) Ab etymologia, ut *Ethica est disciplina morum*, *Triangulum est quod habet tres angulos.* (2) A voce conjugata, ut *Qualitas est à qua res quales denominantur*, (3) A voce synonyma, ut *bovinator est tergiversator.*

*Qu. 5. *Quænam est regula Definitionis nominum?*

Resp. Ut voces aliam explicaturæ sint eâ notiores.

Contra hanc regulam *Aristoteles* seq. exemplo peccavit: *Motus est actus corporis in potentia, quatenus in potentia.*

DE DEFINITIONE REI.

*Qu. 6. *Quid est definitio rei?*

Resp. Quæ rem ipsam explicat. Ut *virtus est amor Dei perfectus.*

* Qu. 7. *Quotuplex est definitio rei?*

Resp. Duplex: perfecta & imperfecta.

* Qu. 8. *Quid est definitio perfecta?*

Resp. Quæ rem per attributa essentialia describit. Ut *corpus est substantia extensa.*

Partes perfectæ definitionis sunt *genus proximum*

ximum & *differentia specifica*; illud est terminus quidam communis, nonsolùm definito, sed & aliis rebus sub eodem genere constitutis competens, hæc autem est pars reliqua definitionis tota, quæ definiti essentiam, vel attributa essentialia exprimit, illudque ab aliis rebus rectè distinguit.

**Qu.* 9. *Quotnam sunt regulæ perfectæ Definitionis?*

Resp. Tres præsertim:

(1) Definitio debet esse perspicua.

Contra hanc *Aristoteles* seqq. exemplo peccavit: *Frigidum est, quod congregat heterogenea, & disgregat homogenea.*

(2) Debet esse brevis.

Contra hanc peccatur verborum in definitionibus luxuriâ, ex. gr. *Logica est ars conficiens instrumenta, iisq; dirigens intellectum in cognitione rerum.*

(3) Debet esse adæquata.

Contra hanc peccatur duobus modis (1) Si definitio sit angustior suo definito, id est, minus dicat, quam in eo continetur: ex. gr. *Grammatica est ars bene loquendi.* (2) Si latior suo definito, id est, plus dicat, quam in illo continetur, ex. gr. *Logica est ars ratiocinandi, ac ditescendi.*

**Qu.* 10. *Num omnes res possunt definiri perfectè?*

Resp. Imo quàm paucissimæ.

Respuunt perfectam definitionem res quamplu-

plurimæ, *a* infinitæ, ut *Deus*. *b* Entia aggregata, ut *philosophia*, *mundus*. *c* Genera & species, ut *animal*, *planta*. *d* Individua, ut *hoc corpus*, *hæc planta*, *hic lapis*.

**Qu. 11. Quid est Definitio rei imperfecta?*

Resp. Quæ rem per attributa accidentalia describit. Ut *homo est animal natum ex muliere, brevi vivens tempore, repletum omni miseriâ.*

Species definitionis realis imperfectæ præsertim occurrunt septem : (1) Cùm substantia definitur per sua accidentia, ex.gr. *Homo est animal bipes, glabrum, loquax & formosum.* (2) Cùm accidens definitur per genus & subjectum, omissâ causâ efficiente, ex. gr. *Eclipsis lunaris est defectus luminis in lun.* (3) Cùm accidens definitur per solam causam efficientem, ex. gr. *Eclipsis lunæ est interpositio terræ inter solem & lunam.* (4) Cùm res definitur per genus & proprietatem unam vel plures, omissâ differentiâ essentiali, ceu incognitâ, ex. gr. *Canis est bestia latrans.* (5) Cùm totum definitur per enumerationem partium, ex.gr. *Philosophia est compages ordinata trium scientiarum, prudentiarum & artium.* (6) Cùm res definitur per remotionem oppositi, ex. gr. *Virtus est vitium fugere.* (7) Cùm relatum definitur per correlatum, ex. gr. *Dominus est, qui habet servum.*



CAP. XIV.

DE DIVISIONE.

**Qu.* 1. *Quotuplex est divisio?*

Resp. Duplex: alia nominis, alia rei.

DE DISTINCTIONE.

**Qu.* 2. *Quid est divisio nominis, sive distinctio?*

Resp. Est vocis ambiguæ explanatio: Vel est diversarum alicujus vocis significationum enumeratio, eum usum habens, ut terminorum obscuritas, confusio, oriundaque hinc logomachia, communissimum literatorum vitium, evitetur.

** Qu.* 3. *Quot sunt Distinctionis species?*

Resp. Tres præsertim.

(1) Cùm declaratur ambiguitas, quæ voci adhæret; ut *Cancer nunc stellam cæli, nunc animal fluviatile, nunc morbum significat.* (2) Cùm distinguitur terminus generalis in speciales, ex. gr. *Homo in mares & fœminas, Corpus in animatum & inanimatum.* (3) Cùm aliquis terminus limitatur per hujusmodi formulas: *distinguo in rem, quà talem, & quà non talem: di-*

stinguo

distinguo rem secundùm hanc vel illam partem: distinguo rem, prout hoc vel illo respectu consideratur. ex. gr. dico (*a*) *Vinum esse homini noxium, putà quatenus ægroto, non quatenus sano.* (*b*) *dico Hominem esse mortalem, putà quoad corpus, non quoad animam* (*c*) *Terram esse magnam, putà respectu suarum partium, non respectu cœli.*

DE DIVISIONE REI.

**Qu.* 4. *Quotuplex est Divisio rei?*

Resp. Duplex: primaria & secundaria.

**Qu.* 5. *Quid est Divisio rei primaria?*

Resp. Est totius in suas partes distributio.

Species primariæ divisionis sunt tres: (1) Cùm genus in suas species dividitur, ex. gr. *Spiritus in finitos & infinitos.* (2) Totum essentiale in suas partes, ut *Homo in mentem & corpus.* (3) Totum integrale in suas partes, ut *Animal in caput, pectus, ventrem, brachia, pedes, Liber in sua capita, paginas, lineas, &c.*

* *Qu.* 6. *Quotnam sunt regulæ Divisionis perfectæ?*

Resp. Tres præsertim:

(1) Divisio debet esse suo diviso adæquata.

Contra hanc peccatur duobus modis: (*a*)

 cùm

cùm *divisio* est angustior suo diviso, id est, quando minus recenset, quàm in eo continetur, (quòd vitium aliàs *imperfecta enumeratio* vocatur) ex. gr. *Omnis color est vel albus, vel niger, Omnis homo vel senex, vel puer.* (b) cùm divisio est latior suo diviso, id est, quando plus recenset, quàm in eo continetur, ex. gr. *Substantia vel est spiritualis, vel corporea, vel neutra. Homo vel est mas, vel fœmina, vel hermaphrodita.*

(2) Divisionis membra debent esse opposita.

Contra hanc seq. exemplo peccaretur: *Vinum est vel album, vel vetus, vel salubre.*

(3) In Divisione sumi debent partes proximæ, non remotæ.

Contra hanc seq. exemplo peccaretur: *Animal est vel homo, vel simia, vel canis,* &c. Corollarium hujus legis est, ut prima divisio contineat membra quantum licèt paucissima, sive ut Διχοτομία vel Τριχοτομία utplurimum instituatur.

*Qu. 7. Quid est Divisio secundaria, seu imperfecta?

Resp. Est rei secundum accidentia sua discretio.

Species secundariæ divisionis præsertim sunt quinque: (1) Cùm substantia vel subjectum per sua accidentia vel adjuncta dividitur, sic ex. gr. *Corpus aliud est lucidum, aliud pellucidum, aliud opacum.* (2) Cùm accidentia vel adjuncta

cta per suas substantias vel subjecta dividuntur, sic ex. gr. *Morbus alius est capitis, alius pectoris, alius ventris,* &c. (3) Cùm causæ per suos effectus dividuntur, ex. gr. *Cibi in salubres, & noxios, Libri in utiles & inutiles.* (4) Cùm effectus per suas causas dividuntur, ex. gr. *Libri in Philosophorum, Theologorum, Poëtarum,* &c. (5) Cùm res per sua objecta dividuntur, sic ex. gr. *Amor alius est erga Deum, alius erga proximum, alius erga seipsum.*



CAPUT XV.

continens

REGULAS IN JUDICANDO OBSERVANDAS.

I. Quò judicium fiat solidum, facere apparatum Idearum, quæ simplices, perfectæ, claræ atque distinctæ sint.

II. Versando circa objectum aliquod non deproperare judicium, sed diù ac multoties, omnique modo illud considerare, priusquam aliquid judicio decernatur.

III. Objecta composita per partes sigillatim tractare & evolvere.

IV. Quia mens nostrâ est fragilis, cavere sibi à nimiâ in judicando licentiâ.

V. Quemadmodum res plurimæ captum excedunt humanum, igitur circa illas ingenuè in-

scitiam confiteri potius, quàm temerè judicare.

VI. Ubi desunt Ideæ claræ & distinctæ, judicium suspendere.

VII. Studiosè cavere, ne ab animi affectibus, ira, odio, superbia, tristitia, metu, amore, &c. in errores abducamur.

VIII. Quia mens nostra ab incunabulis innumeros errores trahit, idcirco novam ineundo rerum omnium considerationem eos studiosè deponere.

IX. Omnia ad trutinam rectæ rationis exigere.

X. Quia Deus est infallibilis, idcirco quæ per revelationem innotescunt, pro certissimis habere.


XI. Siquidem judicia nostra nequeant esse absque affectibus, hos ad numinis & veritatis amorem unicè dirigere.

XII. Quia ex sensuum occasione multoties erravimus præproperè judicando, idcirco illis quàm cautissimè uti.

XIII. Cùm ex paucis judiciis alia atque alia ad insignem multitudinem nascantur, igitur sedulò curare, ut illa quibus principii loco utimur sint quàm solidissima.

XIV. Judicia quæ tantùm authoritate nituntur quoad licet evitare.

Finis Libri Secundi.



ARS COGITANDI EROTEMATICA.

LIBER III.

DE DISCURSU SEU RATIOCINATIONE.



CAPUT I.

DE DISCURSU IN GENERE.

Qu. 1. *Quid eſt Diſcurſus?*

Reſp. Eſt actus mentis judicium unum ex alio elicientis.

Vel eſt unius propoſitionis (veritatis) ex aliâ deductio, ſive progreſſus Mentis à rebus notis ad ignotas; quemadmodum ex. gr. ex hac veritate: *Deus eſt ſummum bonum,* colligo aliam, ſc. *omnes actiones ad ipſum referendas*, hunc in modum: *Omnes actiones noſtræ ad ſummum bonum ſunt referendæ,* atqui *Deus eſt ſummum bo-*

num, ergo *omnes actiones ad Deum sunt referendæ.*

**Qu. 2. Quisnam est Scopus ratiocinationis?*

Resp. Progressus in veritatis cognitione.

**Qu. 3. Quænam in Discursu quolibet sunt distinguenda?*

Resp. Materia & forma.

**Qu. 4. Quænam est materia Discursûs?*

Resp. Ideæ & judicia (termini & propositiones) quæ integrum discursum componunt.

Ideæ vel termini *materia* discursûs *remota*, judicia vel propositiones *materia* ejusdem *proxima* nuncupantur.

**Qu. 5. Quotnam judicia in quolibet Discursu habentur?*

Resp. Plerumque tria, interdum plura, nunquam pauciora.

Si in aliquo ratiocinio tantùm duo judicia verbis exprimantur, sicut in *enthymemate* fieri solet, tunc semper in mente tertium reservatur; ex. gr. in hoc syllogismo: *Bella à Deo veniunt*, ergo *sunt nobis utilia*, subintelligitur tertia propositio, sc. *Omnia quæ à Deo veniunt esse nobis utilia.*

**Qu.*

Qu. 6. Quid est forma discursûs?

Resp. Est apta connexio judiciorum (propositionum) ad inferendam conclusionem.

Qu. 7. Quomodo vocantur partes discursûs?

Resp. Pars altera, quæ priùs nota supponitur, *antecedens* vel *inferens*, altera quæ ex illa notiori deinceps eruitur, *pars consequens*, *illata*, vel *conclusio*; demum utriusque nexus à mente conceptus *consequentia*, *sequela*, *deductio* nominatur.



CAPUT II.

DE PRINCIPIIS DISCURSUS.

Qu. 1. Quid sunt principia Discursûs?

Resp. Sunt judicia fundamentalia, ex quibus primò cognitis alia atque alia deducuntur per consequentiam.

Horum alia videas *absolutè prima*, adeo per se nota, ut prorsus nullâ indigeant demonstratione, *axiomata* sic dicta: alia ex iis orta, & per demonstrationes proximas ostensa, deinceps ulterioribus judiciis eliciendis fundamenti loco futura.

*Qu. 2. *Quid hic observandum?*

Resp. Quòd ex paucissimis principiis innumerabiles fluant consequentiæ.

Si principia sint vera, innumerabiles novæ veritates, sin secus falsa, infiniti errores nascuntur. Observant practici, frequentiùs & copiosiùs errare mentem nostram, ex eo quòd ad ratiocinandum falsa principia usurpet, quàm quòd ex assumptis qualibuscunque vitiosas consequentias ducat.

*Qu. 3. *Quotuplicia aliàs sunt ejusmodi principia?*

Resp. Universalia & particularia.

Universalia, quæ in omnibus disciplinis promiscuè usu venire possunt; *particularia* verò, quæ his illisve tantum propria obtingunt.

En Axiomata quædam universalia:

(1) Est aliquod ens perfectissimum, h. e. infinitum, æternum, omnipotens, omniscium, sapientissimum, justissimum, clementissimum, veracissimum, immutabile, quod mundum creavit, dirigit atque gubernat.

(2) Ab hoc ente Mens hominis obtinuit existentiam suam, cum facultate cogitandi, judicandi, volendi, accepitque leges, verum à falso, bonum à malo rectè dignoscendi.

(3) Quia lumen rationis à Deo accensum est, igitur quæ per illud clarè & distinctè cognoscuntur, certissima sunt.

(4) Quæ

(4) Quæ per revelationem divinam nobis innotescunt, infallibilem habent certitudinem, & longè perfectissimam.

(5) Est de naturâ Mentis finitæ, quòd non possit comprehendere infinitum.

(6) Sunt res omnino multæ tàm difficiles atque abstrusæ, ut ab humanâ mente hactenus percipi nequeant.

(7) Quicquid in alicujus rei clarâ & distinctâ ideâ continetur, potest verè de illo affirmari.

(8) Nulla res mutabilis à seipsâ esse potest vel æterna.

(9) Quæcunque conveniunt vel disconveniunt in aliquo tertio, etiam inter se conveniunt, vel disconveniunt.

(10) Quæ de aliquo universali affirmantur vel negantur, ea etiam affirmantur vel negantur de omnibus speciebus & individuis sub eodem genere contentis.

(11) Nihil non potest esse alicujus rei causa.

(12) Idem non potest simul esse, & non esse.

CAP. III.

DE REGULIS DISCURRENDI GENERALIBUS.

*Qu. 1. *Da mihi regulas generales in inquirenda veritate per discursum perpetuò observandas?*

Resp. En præcipuas: (1)

(1) Deum ſedulò implorare pro felici operum rationis ſucceſſu.

(2) De omnibus nonniſi ex amore virtutis & veritatis judicare.

(3) Objecta ſingula quàm attentiſſimè conſiderare.

(4) Partes objecti ſucceſſivè omnes, accuratè ac diù ſpeculari, priuſquam judicio quicquam decernamus.

(5) Nihil aſſerere niſi quod ſatis evidenter ſolideque intellectum ſit.

(6) Objecta jam conſiderata majoris certitudinis cauſâ iterum atque iterum expendere, interdum quoque aliorum ingenio ſcrutanda offerre, quò omnis commiſſi forſan lapſûs ſuſpicio removeatur.

(7) Si tàm evidenter ſolideque aliquid concipiamus, quàm nos exiſtere intelligimus, ibi acquieſcere tanquam in ſummo certitudinis humanæ gradu.

(8) Quod ex divinâ revelatione innoteſcit citra hæſitationem devotâ fide amplecti, ibique otioſas ſpeculationes vitare.

(9) Cùm ſenſus noſtri, converſatio popularis, pravaque conſortia graviſſimas rationi inſidias ſtruant, idcirco eas cauſas quàm ſtudioſiſſimè vitare.

(10) Sedulò cavere, ne affectus pravi, philautia, odium, ira, ſuperbia, metus, ambitio, avaritia, &c. ceu peſtilentes rationis hoſtes in errorem nos abducant.

(11)

(11) In authoritate hominum vix ac ne vix quidem judicando acquiêscere.

(12) Postremò in omnibus memorem esse fragilitatis suæ, nusquam ultra captum rationis humanæ se attollere, citiusque passim inscitiam confiteri, quàm otiosè ratiocinari.



CAP. IV.

DE

INVENTIONE LOGICA.

Qu. 1. *Quid sunt Loci dialectici?*

Resp. Sunt fontes communes argumentorum ad probandam aliquam veritatem.

Doctrina de hujusmodi locis promiscuè *Topica*, *Inventio logica*, vel *Methodus inveniendi argumenta* nominatur.

Qu. 2. *Quotuplicia sunt argumenta?*

Resp. Artificialia & inartificialia.

Priora dicuntur, quæ artis logicæ beneficio inveniuntur, *posteriora* verò, quæ suâ sponte innotescunt.

DE LOCIS ARTIFICIALIBUS.

Qu. 3. *Quomodo dividuntur Loci artificiales?*

Resp. In grammaticos, logicos & metaphysicos.

Qu. 4. *Quotnam sunt Loci grammatici?*

Resp. Duo:

(1) Ab

(1) Ab etymologia.

Canon sive regula ratiocinandi ex hoc loco est: *Cui convenit vel non convenit etymologia nominis, ei etiam convenit vel non convenit nomen.* Ex. gr. Deus potest omnia, ergo est omnipotens. Reges non possunt omnia, ergo non sunt omnipotentes.

(2) A voce conjugatâ.

Canon hujus loci est: *Cui convenit, vel non convenit vox una conjugatorum, ei etiam convenit, vel non convenit altera.* Ex. gr. Pauperes patiuntur miseriam, ergo sunt miseri. Aliqui judices non exercent justitiam, ergo non sunt justi.

Qu. 5. *Quotnam sunt Loci logici?*

Resp. Undecim præcipue:

(1) A definitione.

Canon hujus loci est: *Cui convenit, vel non convenit definitio, ei etiam convenit, vel non convenit definitum.* Ex. gr. Mundus est substantia extensa, ergo mundus est corpus. Anima non est substantia extensa, ergo non est corpus.

(2) A Genere.

Canon hujus loci est: *Quod affirmatur, vel negatur de genere, etiam affirmatur vel negatur de speciebus sub eo genere contentis.* Ex. gr. Omne corpus est corruptibile, ergo cœlum est corruptibile. Nullum corpus est infinitum, ergo mundus non est infinitus.

(3) A specie.

Canon hujus loci est: *Quod affirmatur vel negatur de specie, etiam affirmatur vel negatur de omni-*

omnibus individuis sub eadem comprehensis. Ex. gr. De homine in genere affirmatur, quod sit creatus ad imaginem Dei; ergo etiam de hoc illo &c.

(4) A differentia.

Canon hujus loci est: *Cui convenit vel non convenit differentia essentialis; ei etiam convenit vel non convenit species.* Ex. gr. Diogeni convenit esse animal rationale, ergo & esse hominem.

(5) A proprio.

Canon hujus idem cum præcedenti.

(6) Ab accidenti.

Canon hujus loci est: *Cui convenit eadem complexio accidentium; ei etiam convenit eadem natura.* Ex. gr. Duobus hominibus convenit habere sitim, lassitudinem, calorem, &c. ergo utriusque idem est status, nempe febris.

(7) A subjecto.

Canon hujus loci est: *Quale est subjectum, tale adjunctum.* Ex. gr. Homo aliquis est laudabilis, ergo & actiones ejus sunt laudabiles.

(8) Ab adjuncto.

Canon: *Quale adjunctum, tale subjectum.* Invidia est mala, ergo invidus est malus.

(9) Ab antecedentibus.

Canon: *Sublatis antecedentibus tolluntur consequentia.* Ex. gr. Nondum est meridies, ergo nondum vespera.

(10) A concomitantibus.

Canon: *Posito aut sublato altero concomitante, ponitur vel tollitur alterum.* Ex. gr. Est bellum, ergo

ergo miseria. Non miseria, ergo non bellum.

(11) A consequentibus.

Canon: *Positis consequentibus ponuntur antecedentia.* Ex. gr. Est incendium, ergo subiit ignis.

Qu. 6. Quotnam sunt loci metaphysici?

Resp. Sex præsertim:

(1) A toto.

Canones de toto integrali & essentiali sunt: (*a*) *Posito toto ponuntur ejus partes.* (*b*) *Sublato toto aut aliqua pars tollitur, aut saltem partes non permanent unitæ.* (*c*) *Quale est Totum (homogeneum) tales sunt partes.* Ex. gr. *Aqua est humida, ergo quævis gutta.* De Toto universali & formali iidem sunt canones, qui de genere, specie & definitione.

(2) A parte.

Canones de partibus (Totius integralis & essentialis) hi sunt: (*a*) *Positis omnibus partibus convenienter unitis ponitur totum.* (*b*) *Ablatâ aliquâ parte tollitur totum.* (*c*) *Quales sunt partes, tale est totum.*

(3) A causâ.

Canones circa causam sunt: (*a*) *Positâ causâ in actu ponitur effectus,* & vice versa, *sublatâ causâ tollitur effectus ulterior.* (*b*) *Causa efficiens principalis est æquè nobilis, aut nobilior effecto suo.* (*c*) *Positâ* vel *sublatâ materiâ ponitur vel tollitur compositum ex eâ* (*d*) *Positâ vel sublatâ formâ ponitur vel tollitur compositum.* (*e*) *Finis est præstantior*

stantior mediis. (*f*) *Posito aut sublato fine, ponuntur vel tolluntur media, quatenus sunt talia.*

(4) Ab effecto.

Canones: (*a*) *Posito effectu ponitur causa.* Ex. gr. Dies illuxit, ergo ortus est sol. (*b*) *Qualis effectus, talis causa.* Ex. gr. Hic liber est doctus, ergo & author.

(5) Ab oppositis.

Canones: (*a*) *De quo affirmatur unum oppositorum, de eo negatur alterum, servatâ conditione circumstantiarum* (*b*) *Oppositorum opposita sunt prædicata.* Ex. gr. Pius est felix, ergo impius est infelix. (*c*) *Posito vel sublato uno relatorum, ponitur vel tollitur alterum.* (*d*) *Quod unum contrariorum suscipit, etiam alterum suscipere potest.* (*e*) *Necesse est alterum privativè oppositorum inesse subjecto capaci, alterum non inesse* (*f*) *inter contradictoria non datur medium.*

(6) A comparatis.

Loci comparatorum sunt quinque diversi, sc. à *simili*, à *dissimili*, à *majori*, à *minori*, & à *pari*. Circa quos hi sunt canones: (*a*) *Quod valet in uno simili, etiam valet in altero.* (*b*) *Dissimilibus eadem non conveniunt.* (*c*) *Si quod magis probabile est, verum non sit, tunc quod minus probabile est, tanto minus verum erit.* (*d*) *Si quod minus probabile est, verum sit, tunc certe, quod magis probabile est, etiam verum erit.* (*e*) *Ex duobus æquè probabilibus, posito vel sublato uno, ponitur vel tollitur alterum.* Ex. gr. Fratres sunt diligendi quà fratres, ergo etiam sorores, quà sorores.

DE ARGUMENTIS ET LOCIS INARTIFICIALIBUS.

Qu. 7. *Undenam petuntur Argumenta inartificialia?*

Resp. A testimoniis.

Qu. 8. *Quotuplicia sunt Testimonia?*

Resp. Duplicia: divina & humana.

Qu. 9. *Quotuplicia sunt Testimonia divina?*

Resp. Mediata & immediata.

Immediata, quæ Hominibus à Deo proximè obtingunt, velut Moysi in monte Sinai; *mediata*, quæ nobis per Prophetas, Evangelistas, Apostolos innotescunt. Canon circa testimonia divina hic est: *Quod abs Deo mediatè vel immediatè innotescit, est longè certissimum.*

Qu. 10. *Quotuplicia sunt Testimonia humana?*

Resp. Diversissima.

Nunc proficiscuntur à Hominibus plebejis, nunc à dignioribus, rudibus vel literatis, honestis vel improbis, Theologis, Philosophis, Jurisconsultis, Medicis, &c. Canones circa testimonia humana sunt: (*a*) *Primus fidei gradus debetur ei, quòd omnes populi & homines testantur.* (*b*) *Secundus ei, quod plerique hominum testantur.* (*c*) *Tertius ei, quod sapientiores tantùm.* (*d*) *Quartus ei, quod vir unus alterve sapiens, cele-*

celebris, probus. (e) *Artifici in sua arte.* (f) *Pluris est testis oculatus, quàm auritus, adultus vel senex, quàm juvenis.*

CAPUT V.

DE DISCURSU PERFECTO SEU DEMONSTRATIVO.

* *Qu.* 1. *Quotuplex est Discursus ratione formæ internæ?*

Resp. Duplex: perfectus & imperfectus.

* *Qu.* 2. *Quid est Discursus perfectus?*

Resp. Qui ex principiis axiomaticis consequentias ducit quàm certissimas.

Hujusmodi *discursus* aliàs *demonstrativus*, græcè *apodicticus*, aut uno verbo *demonstratio*; ejusque productum *scientia* nominatur.

* *Qu.* 3. *Quid igitur est Scientia?*

Resp. Est accurata & quàm certissima rei cognitio.

* *Qu.* 4. *Num datur ejusmodi Scientia?*

Resp. Omninò.

Deus nec falli, nec fallere potest; hujus ad imaginem mens nostra creata est; quidni igitur aliqua certissimè sciret? v. gr. se esse, Deum

 esse,

esse, corpus nostrum, mundum, &c. Licet non defuerint inter Philosophos veteres, qui nihil omninò perfectè sciri opinarentur, utpote non tantùm mundi, cœli, terræ, sed & sui ipsius existentiam in dubio habentes; quorum alii quidem, statuentes omnia incomprehensibilia esse, *Acataleptici*, alii verò, de omnibus judicium suspendentes, h. e. nihil prorsus affirmativè vel negativè decernentes, *Sceptici*, *Aporetici*, *Dubitatores*, *Cunctatores* &c. nominati fuerunt.

**Qu. 5. Quodnam est criterium certitudinis notitiæ nostræ?*

Resp. Evidentia conceptûs nostri.

**Qu. 6. Quomodo dividitur Demonstratio?*

Resp. In directam & obliquam.

Directa vel *ostensiva demonstratio* dicitur, quæ veritatem aliquam directè commonstrat, *obliqua* verò, quæ indirectè conclusionem producit.

**Qu. 7. Quotuplex est Demonstratio directa?*

Resp. Duplex: alia à priori, alia à posteriori procedens.

Aristoteles etiam distinxit inter Demonstrationem τῦ ὅτι, sive quòd res sit, & τῦ διότι, sive cur res sit; quæ Divisio sub illâ nostrâ omnino continetur.

**Qu.*

*Qu. 8. *Quid est Demonstratio à priori?*

Resp. Quæ aliquid demonstrat ex iis, quæ suâ naturâ, vel conceptu nostro priora sunt.

Hujus species sunt: (1) Cùm effectus demonstrantur ex suis causis. Ex. gr. *Frigus hyemale ex remotione solis.* (2) Cùm totum demonstratur per suas partes. Ex. gr. *Triangulum per suos angulos & lineas.* (3) Cùm consequentia demonstrantur ex antecedentibus. Ex. gr. *partus ex graviditate, miseria ex bello, morbus ex intemperantiâ, &c.* (4) Cùm particularia demonstrantur ex universalibus. Ex. gr. *Proprietates trianguli ex notione angulorum in genere.*

*Qu 9. *Quid est Demonstratio à posteriori?*

Resp. Quæ aliquid demonstrat ex iis, quæ suâ naturâ, vel conceptu nostro sunt posteriora.

Hujus species sunt: (1) Cùm causæ demonstrantur ex effectibus suis. Ex. gr. *Deus ex mundo, ignis ex incendio.* (2) Cùm partes demonstrantur per totum. Ex. gr. *per Hominem caput, pectus, &c.* (3) Cùm antecedentia demonstrantur ex consequentibus. Ex. gr. *Ex illuminatione cubiculi solis ortus.* (4) Cùm universalia demonstrantur ex particularibus. Ex. gr. ex *Homine animal.*

*Qu. 10. *Quænam sunt species Demonstrationis indirectæ?*

Resp. Duæ: deductio ad absurdum, & argumentatio ad hominem.

*Qu. 11. *Quid est argumentatio ad absurdum?*

Resp. Cùm aliquid ex eo demonstratur, quòd, nisi verum esset, necessariò sequeretur aliquod absurdum, vel impossibile.

Hæc aliàs *Demonstratio per impossibile*, vel *per incommodum* dicitur; ex. gr. *Si mens hominis nihil certò sciret, tunc neque sui ipsius existentiam indubitatò sciret*, atqui *hoc est absurdum*, ergo *aliquid certò cognoscit.*

*Qu. 12. *Quid est argumentatio ad Hominem?*

Resp. Quæ ex opinione adversarii tanquam hypothesi consequentias ducit.

*Qu. 13. *Quotnam sunt regulæ Demonstrationis?*

Resp. Tres præsertim;

(1) Demonstrationem ordiri à notissimis, indeque ad ulteriora accuratè promovere.

Cùm nescitur quarum rerum Demonstratio quærenda vel omittenda sit, aut certè, cùm omnis generis rationes promiscuè adducuntur, id

id vitium ab Ariſtotele *ignorantia analyticorum* vocatur.

(2) Principia aſſumere evidentia atque certiſſima.

Cùm incerta aut falſa principia pro certis vel veris aſſumuntur in aliquâ demonſtratione, id vitium ab Ariſtotele *Pſeudographema*; ſi autem ex principiis peregrinis vel alienis, utut veris conclusio formatur, hoc ab eodem μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, vitioſus tranſitus ad aliud genus nuncupatur.

(3) Ex principiis nec plus nec minus concludere, niſi quantum rationalis nexus clarè docet.

Cùm ex principiis veris aliquid concluditur, quod inde non ſequitur, id vitium vulgò mala vel vitioſa ratiocinatio nuncupatur.



CAPUT VI.

DE DISCURSU IMPERFECTO SEU DIALECTICO.

* *Qu.* 1. *Quid eſt Diſcurſus imperfectus?*

Reſp. Qui ex principiis tantum probabilibus procedit.

Aliàs *discursus dialecticus* vel *probabilis*, ejusque productum *opinio* vocatur.

**Qu.* 2. *Quid igitur hîc est Opinio?*

Resp. Est notitia probabilis, non tamen demonstrativa.

**Qu.* 3. *Quotnam sunt species ejusmodi Discursus notabiles?*

Resp. Tres præsertim:

(1) *Inductio*: cùm ab aliquo particulari ad universale concluditur. Ex. gr. *Mihi & aliis vinum prodest, ergo prodest hominibus in genere.* (2) *Exemplum*: si à quodam singulari ad universale concluditur. Ex. gr. *Mihi somnus est gratus, ergo hominibus est gratus, Odor rosæ mihi est jucundus*, quidni *cæteris?* (3) *Ratiocinium ex authoritate aliorum*; cùm sc. ex testimoniis Historicorum, legibus JCtorum, sententiis vel placitis Philosophorum, &c. aliquid commonstratur.



CAP. VII.

DE DISCURSU PLEBEJO.

**Qu.* 1. *Quomodo dividitur Discursus ratione formæ externæ?*

Resp. In plebejum & philosophicum.

Discursus vulgaris sive plebejus dicitur, qui formam populo usualem habet, *philosophicus* autem, cujus termini secundum artis leges disponuntur.

**Qu.* 2. *Quotnam sunt species Discursûs plebeji?*

Resp. Quinque præsertim.

(1) Discursus ætiologicus, cùm ex argumento causæ aliquid asseritur. Ex. gr. *Deus est reverendus*, quia *est ens perfectissimum*. (2) Porismaticus, ut *Vita est brevis, ergo studiosè vivendum*. (3) Hypotheticus, ut *Si valetudo est prospera, tunc conservanda*. (4) Adversativus, ut *Homines sunt ambitiosi, cùm tamen id ipsis noceat*. (5) Dialogisticus vel socraticus, qui fit per interrogationes & responsiones.

**Qu.* 3. *Numquid ejusmodi formulæ ratiocinandi sunt validæ?*

Resp. Omnino.



CAP. VIII.

DE

DISCURSU PHILOSOPHICO.

**Qu.* 1. *Quomodo vocantur Ratiocinia, quæ à Philosophis secundum certas leges & formas instituuntur?*

Resp. Syllogismi.

*Qu. 2. *Quid igitur est Syllogismus?*

Resp. Est complexio plurium propositionum, quarum una ex aliis necessariò sequitur,

Vel est artificiosus mentis Discursus, propositionem unam ex aliis rectè concludens. Ex. gr. *Omne vitium est Deo exosum*, atqui *Hypocrisia est vitium*, ergo *est Deo exosa*.

*Qu. 3. *Quænam in quolibet Syllogismo seorsim sunt consideranda?*

Resp. Materia & forma.

*Qu. 4. *Quotuplex est Materia syllogismi?*

Resp. Duplex: remota & proxima.

Remota syllogismi materia dicuntur tres pluresve termini, ex quibus ille componitur: *proxima* verò dicuntur propositiones ex connexione terminorum factæ, & syllogismum immediatè constituentes; quarum illa quidem, quæ ex aliis notioribus deducitur *conclusio* vel *consequens*, (extra argumentationem *quæstio*) reliquæ autem, ex quibus ista infertur, *præmissæ* vel *antecedentes* nuncupantur.

*Qu. 5. *Quid est Forma syllogismi?*

Resp. Est recta deductio conclusionis ex præmissis.

*Qu. 6. *Quid circa materiam & formam Syllogismi observandum?*

Resp. Posse hanc sine illâ vitiosam existere.

Nunc

Nunc sc. propositiones in se sunt falsæ, quantumvis consequentia sit rectè formata; nunc vice versâ deductio vel sequela est vitiosa, quantumvis propositiones in se sint verissimæ.

* *Qu.* 7. *Quemnam usum habent Syllogismi?*

Resp. Decus & gravitatem afferunt disputationibus academicis.



CAPUT IX.

DE

PRINCIPIIS GENERALISSIMIS EFFICACIÆ SYLLOGISMORUM.

**Qu.* I. *Quid sunt Principia efficaciæ syllogismorum?*

Resp. Sunt fundamenta necessitatis sequelæ in quolibet syllogismo.

**Qu.* 2. *Quot sunt eorum numero?*

Resp. Duo:

(1) Quæ conveniunt in aliquo tertio, ea etiam inter se conveniunt.

Hoc fundamento nititur vis omnium syllogismorum affirmantium cujuscunque figuræ. Ex. gr. duo numeri, *bis sex*, & *ter quatuor* conveniunt in eodem tertio numero sc. *duodecim*, hinc colligo, eos etiam inter se convenire, hujusmodi

jusmodi syllogismo: *Bis sex sunt æquales duodecim*, sed etiam *ter quatuor sunt æquales duodecim*; ergo *bis sex & ter quatuor sunt numeri æquales.*

(2) Quæ disconveniunt in aliquo tertio, ea etiam inter se disconveniunt.

Hoc fundamento nititur vis omnium syllogismorum negantium, cujuscunque figuræ. Ex. gr. Numeri *bis tria* & *bis quatuor* disconveniunt in eodem tertio numero *sex*, cui sc. ille prior est æqualis, non posterior, hinc colligo, eos etiam inter se disconvenire, & ab invicem esse negandos, hujusmodi syllogismo: *Bis tria faciunt sex*, atqui *bis quatuor non faciunt sex*, ergo *bis tria & bis quatuor non sunt æquales numeri.*

**Qu. 3. Quid circa ista principia observandum?*

Resp. Regulam de omni, & de nullo Aristotelicorum sub iis comprehendi.

(1) Regula de omni hæc est: *Quicquid de aliquo universali affirmatur universaliter, illud etiam affirmatur de omnibus speciebus & individuis sub eodem genere contentis.* Ex. gr. Corpora sunt extensa, *ergo* etiam lapides, ligna, &c. (2) Regula de nullo: *Quicquid de aliquo universali negatur universaliter, illud etiam negatur de omnibus speciebus ac individuis sub eodem genere contentis.* Ex. gr. Nullum corpus est infinitum, *ergo* neque mundus.

CAP.



CAP. X.

DE

SYLLOGISMORUM DIFFERENTIIS.

**Qu.* I. *Quotnam ſunt differentiæ Syllogiſmorum notabiles?*

Reſp. Quatuor præſertim:

(1) Alii ſunt veri, alii falſi.

Veri dicuntur, quorum propoſitiones omnes in ſe ſunt veræ, *falſi* è contrario.

(2) Alii legitimi, alii vitioſi.

Legitimi vocantur, quorum forma eſt accurata, *vitioſi contrà.*

(3) Alii ſimplices, alii compoſiti.

Simplices ſunt, quorum propoſitiones ſunt ſimplices, ubique medius terminus ſemel cum utroque extremo conjungitur; *compoſiti* verò, quorum major propoſitio eſt conjuncta, ac integram concluſionem in ſe continens.

(4) Alii categorici, alii non tales.

Categorici nominantur, quorum forma ſe habet ſecundum aliquam ex 4. figuris, & harum modos; *non categorici* ex contrario dicuntur, qui nullam ejuſmodi figuram, vel modum agnoſcunt.

CAP.



CAPUT XI.

DE

SYLLOGISMIS CATEGORICIS IN GENERE.

**Qu. 1. *Quænam sunt partes Syllogismi categorici?*

Resp. Tres termini, ac totidem propositiones; ex geminatâ illorum conjunctione resultantes.

Prima syllogismi propositio *major*, secunda *minor* (interdum *assumptio*, vel *assumptum*) tertia denique & ultima *conclusio* (extra argumentationem *quæstio* vel *thesis*) vocatur. Jam quælibet istarum propositionum duobus constat terminis, (subjecto & prædicato) quorum illi, qui conclusionem syllogismi constituunt, ab Aristotele *duo extrema* vocantur, ac speciatim conclusionis prædicatum, *majus extremum*, vel *terminus major*, ejusque subjectum *minus extremum*, vel *terminus minor*; tandem ille terminus, qui non est in conclusione, sed in præmissis ceu tertius intercedit, *terminus medius*, vel *argumentum syllogismi* nominatur.

**Qu. 2. *Quænam circa formam Syllogismi categorici sunt notanda?*

Resp. Figura & modus.

*Qu. 3.

*Qu. 3. *Quid est Figura syllogismi?*

Resp. Est conditio syllogismi quoad termini medii dispositionem cum extremis.

*Qu. 4. *Quotnam sunt Figuræ?*

Resp. Quatuor:

(1) Cum medius terminus in majore prop. est subjectum, & in minore prædicatum.

(2) Cum medius terminus in majore & minore est prædicatum.


(3) Cum medius terminus in majore & minore est subjectum.

(4) Cum medius terminus in majore est prædicatum, & in minore subjectum.

*Qu. 5. *Quid est modus syllogismi?*

Resp. Est conditio syllogismi quoad propositionum quantitatem & qualitatem.

Modorum (1) alii sunt *universales*, quorum sc. una vel utraque præmissarum est universalis, alii *singulares*, quorum utraque est singularis. (2) Alii *affirmativi*, quorum conclusio est affirmativa: alii *negativi*, quorum conclusio est talis.



CAP. XII.

DE SYLLOGISMORUM CATEGORICORUM REGULIS GENERALIBUS.

Qu. 1. Quotnam ſunt Leges generales, ſecundum quas ſyllogiſmi categorici exiguntur?

Reſp. Sex:

(1) In ſyllogiſmo non debent eſſe plures termini, nec pauciores tribus.

Demonſtratio. Si enim (*a*) termini ſint duo tantùm, tunc concluſio non erit propoſitio nova, ſed eadem plane cum præmiſſis, igitur non erit ſyllogiſmus, per definitionem l. c. Si (*b*) termini ſint plures tribus, tunc duo extrema non erunt collata cum eodem tertio, ut in eo convenire vel diſconvenire percipiantur, igitur ſyllogiſmus carebit fundamento, neque concluſio ex præmiſſis neceſſariò ſequetur. En exemplum id vitii habens: *Omnis homo eſt aliud à bruto,* atqui *Omnis ſimia eſt aliud ab homine,* ergo *Omnis ſimia eſt aliud à bruto.*

(2) Medius terminus ſemel vel bis ſumi debet univerſaliter, nunquam bis particulariter.

Demonſt.

Demonst. Si medius terminus in utraque præmissarum accipiatur particulariter, tunc diversas partes ejusdem generis significare potest, id est, aliam in majore, aliam in minore prop. quod si fiat, erunt quatuor termini in syllogismo contra legem primam. Aut si eandem, prorsus significationem obtineat terminus medius in utraque præmissarum, nonnisi per accidens conclusio valebit. En exempla quò res fiat clarior (*a*) *Aliquis homo est vivus, Aliquis homo est mortuus*, ergo *Aliquis mortuus est vivus.* (*b*) *Quidam vir est doctus, Quidam vir est probus*, ergo *Quidam probus est doctus.*

(3) Extrema non sumi debent universaliùs in conclusione, quàm in præmissis.

Dem. Si major vel minor terminus in conclusione sumatur universaliùs, quàm in præmissis, tunc à particulari ad universale procedit consequentia, quod est vitiosum. *En exemplum* ita *peccantis syllogismi : Omne corpus est mobile; Aliqua substantia est corpus*, ergo *Omnis substantia est mobilis.*

(4) Ex duabus propositionibus negativis nulla efficitur conclusio.

Dem. Si duo extrema (major & minor terminus) disjungantur ab eodem tertio, non sequitur eadem inter se conjungenda vel disjungenda esse, igitur conclusio nulla inferri potest. *Ex. gr. Turcæ non sunt Christiani, Hispani non*

ſunt Turcæ; ergo *Hiſpani non ſunt Chriſtiani.*

(5) Ex duabus propoſitionibus affirmativis nequit concluſio negativa inferri.

Dem. Si major & minor propoſitio ſit affirmativa, tunc duo extrema conveniunt in eodem tertio, igitur *per regulam proportionis* etiam inter ſe convenient, & erunt de ſe invicem affirmanda, ergo concluſio non poterit eſſe negativa. Ex.gr. *Omnis Philoſophus eſt doctus,* atqui *Ariſtoteles eſt Philoſophus,* ergo *Ariſtoteles non eſt doctus.*

(6) Concluſio ſequi debet partem debiliorem, id eſt, ſi præmiſſarum altera ſit negativa, oportet illam eſſe negantem; ſi particularis, particularem.

Dem. Si enim (*a*) altera præmiſſarum propoſitionum eſt negativa, in hac medius terminus ab uno extremorum ſeparatur, igitur duo extrema in eodem tertio diſconveniunt, ergo per *reg. proport.* erunt disjungenda, igitur concluſio erit negativa. Si (*b*) altera præmiſſarum eſt particularis, concluſio nequit eſſe univerſalis, quia ſequeretur aliquod abſurdum. Sit enim affirmativa univerſalis, dico ejus ſubjectum (minorem terminum) fore univerſaliter ſumptnm, ergo idem terminus per *Leg.* 3. etiam in minore propoſitione erit univerſalis, atqui hæc eſt affirmativa, igitur ejus erit ſubjectum, ergo medius terminus in minore (univer-

niversali affirmante) erit prædicatum, eritque particulariter sumptus, ergo universalis esse debebit in majori, hujúsque subjectum, quia est affirmativa, ergo major & minor propositio erit universalis, quotiescunque conclusio est universalis affirmans. Deinde sit conclusio universalis negativa, dico extrema ejus sumpta esse universaliter, ergo per *Leg.* 3. talia quoque in præmissis esse debebunt, ergo major & minor quoque erunt universales; ergo plane nulla conclusio universalis obtinetur, nisi cùm etiam præmissæ fuerint tales. Ergo conclusio sequitur partem debiliorem, quod erat demonstrandum. En exempla adversus istam regulam: (*a*) *Nullum corpus cogitat, Omne animal est corpus*, ergo *Omne animal cogitat.* (*b*) *Omne probum est honestum, Aliquis homo est probus*, ergo *Omnis homo est honestus.*

**Qu. 2. Quemnam usum habent istæ leges syllog.?*

Resp. Secundum ipsas valor syllogismi categorici exigitur.

Alius autem modus explorandi valorem dati syllogismi est, si is transmutetur in formam discursûs plebejam, unde vitium aut valor clarè apparet. Ex. gr. *Omnis morbus est molestus, Medicus curat morbos*, ergo *Medicus est molestus.* Mutetur hic syllogismus in ratiocinii formam vulgarem: *Medicus est molestus*, quia *morbos curat, qui sunt molesti.* Sic facie mutatâ vitium ultrò revelat. Sit aliud exemplum: *Lepus ha-*

bet aures, *Asinus habet aures*, ergo *Asinus est lepus*, mutatâ formâ hoc modo : *Asinus est lepus*, quia *habet aures*, vitium sponte elucet.



CAPUT XIII.

DE SYLLOGISMIS CATEGORICIS IN PRIMA FIGURA.

*Qu. 1. *Quotnam sunt Leges speciales primæ figuræ?*

Resp. Duæ :

(1) Minor propositio debet esse affirmativa.

Dem. Si enim negativa foret, tunc per *Leg. 6. gen.* etiam conclusio foret negans, igitur hujus prædicatum (*Maj. term.*) universaliter sumptum ; sed quia minor supponitur negativa, igitur per *Leg. 5. gen.* major foret affirmativa, ergo hujus prædicatum (*Maj. term.*) particulariter sumptum, aliter quam in conclusione, contra *Leg. 3. gen.* ergo minor in primâ figurâ (*atque etiam in tertiâ*) nequit esse negativa, quod erat demonstrandum. En exemplum peccantis in adversum syllogismi : *Omne animal sentit*, *Nullus lapis est animal*, ergo *Nullus lapis sentit*.

(2) Major debet esse universalis.

Dem. Quia minor est affirmativa, igitur ejus prædicatum, seu *medius terminus* est particu-

ticulariter sumptus, ergo debebit esse universalis in majore propositione, ergo hæc erit universalis, ceu habens subjectum universaliter acceptum. In adversum peccaret sequens syllogismus: *Aliquod corporeum est lapis, Omne animal est corporeum,* ergo *Omne animal est lapis.*

**Qu. 2. Quotnam sunt modi syllogismorum primæ figuræ?*

Resp. Quatuor: barbara, celarent, darii, ferio.

Vocales earum vocum designant quantitatem & qualitatem propositionum syllogismi, juxta istos versiculos:

Asserit a. negat e. verùm generaliter ambo.
Asserit i. negat o. sed particulariter ambo.

**Qu. 3. Da mihi exempla omnium modorum in 1. figurâ?*

Resp. En aliqua:

BAR Omne honestum est laudabile,
BA Atqui omnis virtus est honesta,
RA Ergo omnis virtus est laudabilis.

CE Nullum vitium est licitum,
LA Atqui omne mendacium est vitium,
RENT Ergo nullum mendacium est licitum.

DA Omne peccatum eſt fugiendum,
RI Sed aliqua actio eſt peccatum,
I Ergo aliqua actio eſt fugienda.

FE Nullum inutile eſt amandum,
RI Sed aliquod ſtudium eſt inutile,
O Ergo aliquod ſtudium non eſt amandum.



CAPUT XIV.

DE SYLLOGISMIS CATEGORICIS IN SECUNDA FIGURA.

*Qu. I. *Quotnam ſunt Leges ſpeciales ſecundæ figuræ?*

Reſp. Duæ:

(1) Alterutra præmiſſarum debet eſſe negativa.

Dem. Si major & minor propoſitio foret affirmativa, tunc earum prædicata, quæ faciunt medium terminum, utrobique eſſent particulariter ſumpta, contra *Leg. 2. gen.* ergo alterutra præmiſſarum neceſſariò debet eſſe negans. Contra hanc legem peccaret ſequens exemplum: *Qui ſalvantur lapſi ſunt*, ſed *Omnis homo lapſus eſt*, ergo *Omnis homo ſalvatur.*

(2) Ma-

(2) Major debet esse universalis.

Dem. Quia in omni syllogismo secundæ figuræ conclusio est negativa per *Leg.* 1. *specialem hujus figuræ*, & per *Leg.* 6. *gen.* igitur ejus prædicatum, seu major terminus erit universaliter sumptus, ergo per *Leg.* 3. *gen.* talis quoque esse debebit in majore propositione, cujus facit subjectum; per *Definit. secundæ figuræ*, ergo major propositio erit universalis. Contra hanc legem peccaret sequens: *Aliqua disciplina non est salutifera*, sed *Theologia est salutifera*, ergo *Theologia non est disciplina.*

**Qu.* 2. *Quotnam sunt Modi syllogismorum in secundâ figurâ?*

Resp. Quatuor: cesare, camestres, festino, baroco.

**Qu.* 3. *Da mihi exempla eorum?*

Resp. En aliqua:

CE Nullus dives est egenus,
SA Sed omnis avarus est egenus,
RE Ergo nullus avarus est dives.

CA Omnis Christianus crucifigit carnem suam,
MES Sed nullus voluptuosus crucifigit carnem suam,
TRES Ergo nullus voluptuosus est Christianus.

FES Nulla virtus conſcientiam lædit,
TI Sed aliqua delectatio conſcientiam lædit,
NO Ergo aliqua delectatio non eſt virtuoſa.

BA Omne honeſtum eſt Deo gratum,
RO Sed multæ actiones non ſunt Deo gratæ,
CO Ergo multæ actiones non ſunt honeſtæ.



CAPUT XV.

DE

SYLLOGISMIS CATEGORICIS IN TERTIA FIGURA.

*Qu. 1. *Quotnam ſunt Leges ſpeciales tertiæ figuræ?*

Reſp. Duæ:

(1) Minor propoſitio debet eſſe affirmativa.

Demonſtrationem hujus vide *Cap. XIII.* de *primâ figurâ*. En exemplum peccantis ſyllogiſmi contra iſtam legem: *Omnis homo eſt mortalis*, ſed *aliquis homo non eſt ſenex*, ergo *aliquis ſenex non eſt mortalis*.

(2) Con-

(2) Conclusio debet esse particularis.

Dem. Quia minor propositio est affirmativa in omni syllogismo tertiæ figuræ, per *Leg. præced. spec.* igitur ejus prædicatum seu *Minor terminus* est sumptus particulariter, ergo etiam in conclusione erit particularis, cujus facit subjectum, ergo hæc erit particularis. Contra hanc legem peccaret seq. syllogismus: *Omnis color est visibilis*, sed *Omnis color est accidens*, ergo *Omne accidens est visibile.*

**Qu. 2. Quotnam sunt Modi syllog. tertiæ figuræ?*

Resp. Sex: darapti, felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison.

Qu. 3. Da mihi exempla eorum?

Resp. En aliqua:

DA Omnis pius est felix,
RAP Sed omnis pius est mundo exosus,
TI Ergo aliquis mundo exosus est felix.

FE Nemo injustus est Deo acceptus,
LAP Sed omnis injustus est homo,
TON Ergo aliquis homo non est Deo acceptus.

DI Aliquis homo est dives,
SA Sed omnis homo est miser,
MIS Ergo aliquis miser est dives.

DA Nullus avarus est liberalis,
TI Sed aliquis avarus est dives,
SI Ergo aliquis dives non est liberalis.

BO Quidam morbus non est lethalis,
CAR Sed omnes morbi sunt molesti,
DO Ergo aliquod molestum non est lethale.

FE Nemo probus est infelix,
RI Sed aliquis probus est pauper,
SON Ergo aliquis pauper non est infelix.



CAPUT XVI.

DE SYLLOGISMIS CATEGORICIS IN QUARTA FIGURA.

* *Qu.* I. *Quotnam sunt Leges speciales syllog. quartæ figuræ?*

Resp. Tres:

(1) Si major propositio est affirmativa, tunc minor debet esse universalis.

Dem. Si major est affirmativa, tunc ejus prædicatum, seu medius terminus est sumptus particulariter, igitur per *Leg.* 2. *gen.* debebit sumi uni-

universaliter in minore, cujus est subjectum, ergo minor erit universalis. Contra hanc legem peccaret sequens exemplum: *Omnis amicus est amandus,* sed *aliquod amandum est perfectum,* ergo *aliquod perfectum est amicus.*

(2) Si minor propositio est affirmativa, tum conclusio debet esse particularis.

Dem. Si minor sit affirmativa, tunc ejus prædicatum, seu minor terminus est sumptus particulariter, igitur per *Leg. 3. gen.* etiam particularis erit in conclusione, cujus est subjectum, ergo hæc erit particularis. Contra hanc legem peccaret seq. *Quidam morbus est periculosus,* sed *omne periculosum est formidabile,* ergo *omne formidabile est morbus.*

(3) In modis negativis major propositio debet esse universalis.

Dem. Si modus Syllogismi in quartâ figurâ est negativus, tunc per *Leg. 6. gen.* conclusio est negativa, igitur ejus prædicatum, seu major terminus est universaliter sumptus, ergo per *Leg. 3. gen.* etiam talis esse debebit in majore propositione, cujus est subjectum, ergo hæc erit universalis, quod erat demonstrandûm. Contra hanc legem peccaret seq. *Aliquod coloratum est pulchrum,* sed *nullum pulchrum est injucundum,* ergo *nullum injucundum est coloratum.*

**Qu.* 2. *Quotnam sunt modi syllogismorum quartæ figuræ?*

Resp. Quinque: barbari, calentes, dibatis,

dibatis, fespamo & fresisom.

*Qu. 3. *Da mihi exempla singulorum?*

Resp. En aliqua:

BAR Omnis humilitas est virtuosa,
BA Sed omne virtuosum est laudabile,
RI Ergo aliquod laudabile est humilitas.

CA Omnis pietas est salutifera,
LEN Sed nullum salutiferum est negligendum,
TES Ergo nullum negligendum est pietas.

DI Quædam actio est honesta,
BA Atqui omne honestum est laudabile,
TIS Ergo aliquod laudabile est actio.

FES Nullus avarus est felix,
PA Sed omnis felix est homo,
MO Ergo aliquis homo non est avarus.

FRE Nulla virtus est mutabilis,
SI Sed aliquod mutabile est pulchrum,
SOM Ergo aliquod pulchrum non est virtus.

CAP.



CAP. XVII.

DE

SYLLOGISMO ENTHYMEMATE.

**Qu. 1.* *Quotnam ſunt ſpecies ſyllogiſmorum non categoricorum notabiliores?*

Reſp. Septem: enthymema, ſyllogiſmus conditionalis, disjunctivus, copulativus, dilemma, ſorites & proſyllogiſmus.

**Qu. 2.* *Quid eſt Enthymema?*

Reſp. Syllogiſmus duarum propoſitionum, ubi tertia velut notior in mente reſervatur.

Nomen ἐνθύμημα derivatur à verbo ἐνθυμέω, cogito, in animo reſervo, quia ſcil. propoſitio major vel minor ceu notior in mente reſervatur; ita quidem ut ſyllogiſmus in mente ſit perfectus, licet non completus in oratione.

**Qu. 3.* *Quomodo vocantur partes Enthymematis?*

Reſp. Propoſitio prima *antecedens*, altera *conſequens*, ac utriuſque nexus *conſequentia* vocatur.

*Qu. 4.

*Qu. 4. *Quotnam sunt Leges hujus argumentationis?*

Resp. Duæ:

(1) Propositio subintellecta (major vel minor) debet esse satis perspicua, & per se cognita.

In adversum peccaret seq. *Anima hominis est spiritualis, ergo immortalis.*

(2) Propositio consequens ex antecedenti rectè fluat.

In adversum peccaret iste: *Reges sunt potentes, ergo adorandi.*

*Qu. 5. *Quomodo Enthymemata reducuntur ad syllogismos categoricos?*

Resp. Additâ propositione subintellectâ.

Ex. gr. *Omnis virtus est prosequenda*, ergo *humilitas est prosequenda*; in hoc subintelligitur tertia propositio, sc. *humilitatem esse virtutem*, quâ additâ nascitur iste categoricus in prima figura: *Omnis virtus est prosequenda*, atqui *Humilitas est virtus*, ergo *Humilitas est prosequenda*.

*Qu. 6. *Da mihi exempla quorundam Enthymematum, ut eorum naturam tanto meliùs agnoscam?*

Resp. En aliqua.

Deus est ens perfectissimum, ergo *unicè & arden-*

dentissimè colendus. Deus est summum bonum; ergo omnes actiones ad ipsum dirigendæ. Mors ad Deum ducit; ergo non timenda. Mundus est malignus; ergo prudenter vivendum.

CAPUT XVIII.

DE

SYLLOGISMO CONDITIONALI, SEU HYPOTHETICO.

* *Qu.* 1. *Quid est Syllogismus conditionalis?*

Resp. Cujus aliqua propositio (plerumque major) est conditionalis.

Major propositio Syllogismi conditionalis habet duas partes, quarum prior quæ continet particulam *si*, *antecedens*; altera autem *consequens*; & utriusque nexus *consequentia* vocatur.

* *Qu.* 2. *Quotnam sunt species syllogismi conditionalis?*

Resp. Quatuor:

(1) Cùm major propositio tantùm est conditionalis.

Ex. gr. *Si Deus est*, tunc *mundus regitur providentiâ*, atqui *Deus est*, ergo *Mundus regitur providentiâ*.

(2) Cùm minor & conclusio sunt conditionales.

Ex. gr.

Ex. gr. *Quodcunque ad imaginem Dei est creatum, est immortale*, atqui *si vera est S. S. anima hominis ad imaginem Dei est creata*, ergo *si vera est S. S. anima est immortalis*.

(3) Cùm omnes tres propositiones sunt conditionales.

Ex. gr. *Si adamas est corpus*, tunc *est divisibilis*, atqui *si adamas est extensus, est corpus*, ergo *si adamas est extensus, est divisibilis*.

(4) Cùm conclusio sola est hypothetica.

Hæc species est enthymematica, duabus tantùm propositionibus constans, ex. gr. *Quodcunque moribus christianis repugnat, illud è republicâ arcendum*, ergo, *si luxus est moribus christianis adversus, erit è republica exterminandus*.

**Qu. 3.* *Quonam sunt Leges syllogismi conditionalis, qui tantùm majorem habet hypotheticam?*

Resp. Tres;

(1) Nexus antecedentis & consequentis in majore prop. debet esse perspicuus & solidus.

In adversum peccaret seq: *Si Divitiæ pariunt voluptates*, tunc *sunt ambiendæ*, atqui *Divitiæ pariunt voluptates*, ergo *sunt ambiendæ*.

(2) Si minor propositio affirmat antecedens majoris, tunc conclusio ejusdem consequens affirmare debet.

Hujus-

Hujus exemplum esto: *Si virtus parit felicitatem*, tunc *prosequenda*, atqui *parit felicitatem*, ergo *prosequenda*.

(3) Si minor negat consequens majoris, tum conclusio ejusdem antecedens negare debet.

Ex. gr. *Si anima est corporea*, tunc *est mortalis*, atqui *anima non est mortalis*, (atqui falsum posterius) ergo *non est corporea* (ergo & prius).

CAPUT XIX.

DE SYLLOGISMO DISJUNCTIVO.

**Qu.* 1. *Quid est Syllogismus disjunctivus?*

Resp. Cujus major propositio est disjunctiva.

**Qu.* 2. *Quotuplex est ille?*

Resp. Duplex: affirmativus & negativus.

**Qu.* 3. *Quid est Syllogismus disjunctivus affirmativus?*

Resp. Qui ex unius membri affirmatione ad alterius negationem concludit. Ex. gr. *Aut Deo serviendum, aut mundo*, atqui *Deo serviendum*, ergo *non mundo*.

**Qu.* 4. *Quid negativus?*

Resp. Qui ex unius membri negatio-

ne ad alterius affirmationem concludit. Ex. gr. *Aut dies est, aut nox*, sed *non est nox*, ergo *dies*.

**Qu.* 5. *Quotnam sunt Leges syllogismi disjunctivi?*

Resp. Tres præsertim:

(1) Major propositio tria habet requisita (*a*) ut absolutè sit vera. (*b*) ut membra ejus sint perfectè enumerata. (*c*) ut eadem sint immediatè opposita.

Contra requisitum (*a*) peccaret sequens exemplum: *Omnes homines sunt vel gigantes, vel pygmæi*, atqui *Diogenes neuter fuit*, ergo *non fuit homo*. Contra (*b*) *Omnis color vel albus, vel niger est*, atqui *rubedo nec alba nec nigra est*, ergo *non est color*. (*c*) *Omnis homo vel pauper est, vel superbus*, atqui *Reges non sunt pauperes*, ergo *sunt superbi*.

(2) Si minor propositio alterum (aliquod) majoris membrum affirmat, tum conclusio alterum (reliqua) negare debet.

In adversum peccaret seq. *Thesis data aut vera est, aut falsa*, atqui *vera est*, ergo *falsa*.

(3) Si minor propositio alterum (plura, si adfuerint) majoris membrum negat, conclusio alterum (reliquum) affirmare debet.

In adverſum peccaret ſeq. *Theſis data aut vera eſt, aut falſa,* ſed *non eſt falſa,* ergo *non eſt vera.*



CAPUT XX.

DE

SYLLOGISMO COPULATIVO.

**Qu.* 1. *Quid eſt Syllogiſmus copulativus?*

Reſp. Cujus major propoſitio eſt copulativa.

**Qu.* 2. *Quotuplex eſt hujuſmodi ſyllogiſmus?*

Reſp. Duplex: affirmativus & negativus.

Affirmativus eſt, cujus major eſt affirmativa. Ex.gr. *Omnis Philoſophus eſt doctus & ſapiens,* atqui *multi Literati non ſunt ſapientes,* ergo *multi Literati non ſunt Philoſophi. Negativus* eſt, cujus major eſt negativa. Ex.gr. *Nemo poteſt Deo ſervire & Mammoni, Avarus Mammoni ſervit,* ergo *non Deo ſervit.*

**Qu.* 3. *Quotnam ſunt Leges ſyllogiſmi copulativi?*

Reſp. Tres:

(1) Major propositio debet esse universalis.

(2) Si major sit affirmativa, minor debet esse negans.

(3) Si major sit negativa, minor debet esse affirmans.



CAP. XXI.

DE

DILEMMATE.

* *Qu.* 1. *Quid est Dilemma?*

Resp. Qui post totius divisionem in sua membra, id concludit ex omnibus, quod illatum erat ex singulis.

Hic syllogismus ex conditionali & disjunctivo compositus est. En exemplum: *Si vivendum, aut Deo, aut mundo vivendum, At si Deo vivas, mundum habebis inimicum, Si mundo, Deum habebis adversum,* ergo *sine adversitatibus omninò vivi nequit.*

**Qu.* 2. *Quotnam sunt regulæ Dilemmatis?*

Resp. Duæ:

(1) Major propositio debet membra totius perfectè enumerare.

In

In adverſum peccat illud: *Si ducenda eſt uxor,* aut *pulchra eſt ducenda,* aut *deformis, ſi pulchram duxeris, erit ſollicitudini, ſi deformem, erit faſtidio,* ergo *plane nulla eſt ducenda.*

(2) Concluſio non plus continere debet, quàm ex ſingulis membris majoris propoſitionis illatum eſt.

In adverſum peccat: *Si vena ſecanda, aut erit ſalutare, aut noxium, Si noxium ſit, mortem accelerabit, Si ſalutare, miſeriam hujus vitæ prolongabit,* ergo *Vena plane non eſt ſecanda.*

CAP. XXII.

DE SORITE.

* *Qu.* 1. *Quid eſt ſyllogiſmus Sorites?*

Reſp. Qui conſtat plurimis propoſitionibus, ita diſpoſitis, ut unius prædicatum evadat ſequentis ſubjectum, tandemque ultimæ propoſitionis prædicatum de primæ propoſitionis ſubjecto concludatur.

Sorites dicitur à græco σωρεύω, congrego, tanquam ſyllogiſmus, in quo multæ propoſitiones ſunt coacervatæ. Ex. gr. *Omnis virtus eſt divina, Omne divinum eſt inviolabile, Omne inviola-*

violabile est æternum, *Omne æternum est perfe-ctum*, ergo *Omnis virtus est perfecta.*

**Qu. 2. Quotuplex est Sorites?*

Resp. Duplex: affirmativus & negativus.

En exemplum affirmativi: *Quos Deus præcognovit, eos prædestinavit, quos prædestinavit, vocavit, quos vocavit, justificavit, quos justificavit, glorificavit*, ergo *quos præcognovit, glorificavit.* En exemplum negativi: *Plerique homines sunt maligni, Nemo malignus est fidelis, Qui non est fidelis, ei non est fidendum*; ergo *plerisque hominibus non est fidendum.*

**Qu. 3. Quotnam sunt leges Soritis?*

Resp. Tres:

(1) Omnes propositiones exceptâ primâ & ultimâ debent esse universales, vel singulares.

(2) Omnes propositiones debent esse absolutè veræ.

(3) Cûm prædicatum unius propositionis evadat alterius subjectum, oportet illud utrobique in eodem sensu adhiberi.

CAP.

CAP. XXIII.

DE

PROSYLLOGISMO.

Qu. 1. *Quid est Prosyllogismus?*

Resp. Est complexio duorum syllogismorum sub quinque propositionibus.

Ita autem propositiones sunt dispositæ, ut prioris syllogismi conclusio sit major vel minor posterioris. Ex. gr. *Omnis Patronus est honorandus*, atqui *Omnis Benefactor est patronus*, ergo *Omnis Benefactor est honorandus*, Atqui *aliquis Mecœnas est benefactor*, ergo *aliquis Mecœnas est honorandus.* Leges hujus syllogismi & varietates ex notitia Categoricorum innotescunt.

CAPUT XXIV.

DE

MODO CONSTRUENDI SYLLOGISMUM.

Ad construendum syllogismum primò nosse oportet materiam, sive tres terminos, ex qui-

bus ille sit componendus; idcirco formanda primùm quæstio vel thesis, quæ in conclusione futuri syllogismi affirmativè aut negativè sit asserenda; deinde ratio invenienda, per quam illius theseos subjectum & prædicatum conjungenda, aut disjungenda videantur; sic autem præstò erunt tres termini, ex quorum geminatâ combinatione syllogismus categoricus resultabit. Sit ex. gr. quæstio: *An Logica sit utilis, nec ne?* nunc finge animo, negativam an affirmativam velis probare; si affirmativam, conclusio futuri syllogismi debebit hæc esse;

Ergo Logica est utilis.

In hac conclusione futurâ occurrunt duo termini, subjectum (Logica) & prædicatum (utile esse) nunc finge causam, vel rationem, cur Logica utilis dici possit, sit ideo, quòd doceat *veritatem rerum investigare*, hic erit tertius vel medius terminus (argumentum) junge hunc cum prædicato futuræ conclusionis jam præsuppositæ, sic fiet *major propositio syllogismi*:

Quæcunque ars docet veritatem investigare, illa est utilis,

Deinde conjunge eundem medium terminum cum subjecto futuræ conclusionis, sic fiet *minor propositio syllogismi*:

Atqui ars Logica docet veritatem investigare,

Tandem subjunge primò conceptam thesin seu conclusionem:

Ergo Logica est utilis.

Ad hujusmodi normam facilis est cujuscunque syllogismi constructio, si primò ratiocinium in

in formâ plebejâ conceperis. Pateat res alio exemplo. Sit formandus ſyllogiſmus ex hoc ratiocinio plebejo:

Virtus eſt excolenda, quia ad beatitudinem ducit.

Igitur concipio futuram concluſionem hunc in modum:

Ergo virtus eſt excolenda.

Nunc jungo argumentum ſeu rationem hujus aſſertionis, *quia ad beatitudinem ducit*, cum prædicato conceptæ concluſionis:

Quodcunque ad beatitudinem ducit, illud eſt excolendum,

Jungo idem argumentum cum ſubjecto conceptæ concluſionis:

Atqui virtus ad beatitudinem ducit,

Addo concluſionem:

Ergo virtus eſt excolenda.

Cæterorum ſyllogiſmorum fabrica à Præceptore, & per exercitium optimè addiſcitur.



CAPUT XXV.

DE

PARALOGISMIS ET SOPHISMATIBUS.

*Qu. 1. *Quid eſt Paralogiſmus?*

Reſp. Eſt ſyllogiſmus vitioſè formatus.

 *Qu. 2.

**Qu.* 2. *Quotuplices sunt Paralogismi?*

Resp. Duplices: aperti & fallaces.

Dantur syllogismi, qui ut speciem bonitatis ferant, nihilominus vitium habent, eapropter *sophismata* aut *fallaciæ* nominati.

**Qu.* 3. *Quotuplicia sunt Sophismata?*

Resp. Duplicia: verbalia & realia.



CAPUT XXVI.

DE SOPHISMATIBUS VERBALIBUS.

**Qu.* 1. *Quot sunt Sophismata verbalia?*

Resp. Duo: homonymiæ & amphiboliæ.

**Qu.* 2. *Quid est sophisma homonymiæ?*

Resp. Quod ex unius vocis ambiguitate fallit.

Hujus tres sunt species: (1) Sophisma homonymiæ ex significationis diversitate simpliciter. Ex. gr. *Finis est rei perfectio, Mors est finis vitæ,* ergo *mors est vitæ perfectio.* (2) Sophisma prosodiæ, in quo eodem modo pronun-

nunciantur, quæ ſcribuntur diverſimodè; ex. gr. *Veritas eſt inimica ſocietati humanæ, Quædam virtus eſt veritas*, ergo *quædam virtus eſt inimica ſocietati humanæ*; vel pronunciantur diverſimodè, quæ ſcribuntur eodem modo; ex. gr. *Lepores ſunt fercula grata, Poëtæ amant lepores*, ergo *Poëtæ amant fercula grata.* (3) Sophiſma figuræ dictionis, cùm vox quædam ex diverſo caſu, numero, genere, &c. ambiguitatem habet. Ex. gr. *Quod quis videt, id videt, Lapidem quis videt*, ergo *Lapis videt.*

**Qu. 3. Quid eſt Sophiſma amphiboliæ?*

Reſp. Quod ex plurium dictionum ambiguitate fallit.

Hujus occurrunt tres ſpecies: (1) Amphiboliæ ex phraſi, cùm ſcil. ipſa phraſis per ſe eſt æquivoca; ex. gr. *Quodcunque eſt in loco, illud eſt extenſum*, atqui *Anima humana eſt in cerebro*, ergo *Anima humana eſt extenſa.* (2) Amphiboliæ ex ſyntaxi, ſeu vocum compoſitione; ex. gr. *Qui ſunt Domini ſui, ſunt ſui juris*, atqui *Servi ſunt Domini ſui*, ergo *Servi ſunt ſui juris.* (3) Amphiboliæ, quæ eſt ex vocum compoſitione & diviſione; ex. gr. *Duo & tria ſunt par & impar, Quinque ſunt duo & tria*, ergo *Quinque ſunt par & impar.* Item: *Unum duo & tria faciunt ſex*, atqui *tria ova ſunt unum, duo, & tria*, ergo *tria ova ſunt ſex.* Porrò: *Omnes planetæ ſunt ſeptem, Sol & Luna ſunt planetæ*; ergo *Sol & Luna ſunt ſeptem.*

CAP.



CAP. XXVII.

DE SOPHISMATIBUS REALIBUS.

*Qu. 1. *Quotnam sunt Sophismata realia?*

Resp. Decem præcipuè.

Sophisma accidentis, ignoratio elenchi, petitio principii, non causæ pro causa, enumerationis imperfectæ, à dicto simpliciter, à dicto secundum quid, plurium interrogationum, falsæ consequentiæ, & sophisma plurium terminorum.

*Qu. 2. *Quid est Sophisma accidentis?*

Resp. In quo vox aliqua hinc formaliter, illinc materialiter accipitur.

Ex. gr. *Mus rodit panem*, atqui *mus est syllaba*, ergo *syllaba rodit panem*. Refutatur ostensione æquivocationis, quæ est in dictione fallaci, aut reductione ratiocinii in formam plebejam; ex. gr. *Syllaba rodit panem*, quia *Mus rodit panem*; quâ conversione vitium ultrò patescit.

*Qu. 3. *Quid est Sophisma ignorationis elenchi?*

Resp. Cujus conclusio thesi datæ apparenter, sed non re ipsâ contradicit.

Vel

Vel est syllogismus aliud probans, quàm quod est in quæstione; ex. gr. si quis contra istam thesin, *Non datur vacuum*, argumentaretur: *Si crumena caret nummis, tunc est vacua*, atqui *mea crumena caret nummis*, ergo *datur crumena vacua*.

**Qu. 4. Quid est Sophisma petitionis principii?*

Resp. Cùm idem per idem, incertum per æquè incertum, vel obscurum per æquè obscurum probatur.

Hujus itaque tres species distingui possunt: (1) Cùm idem per idem sub aliis tantum verbis probatur; ex. gr. *Quodcunque veritati repugnat, illud est falsum*, atqui *thesis data veritati repugnat*, ergo *thesis data est falsa*. (2) Incertum per æquè incertum; ex. gr. *Ubi fit cogitatio, ibi est anima hominis*, atqui *in glandula pineali fit cogitatio hominis*, ergo *in glandula pineali est anima hominis*. (3) Obscurum per æquè obscurum; ex. gr. *Si datur sympathia, tum etiam antipathia*, atqui *datur sympathia*, ergo *etiam antipathia*. *Refutatur petitio principii* ostensione idem per idem, incertum per æquè incertum, vel obscurum per æquè obscurum probari.

**Qu. 5. Quid est Sophisma non causa pro causa?*

Resp. Cùm quæ non est causa, vel saltem per accidens, pro verâ & genuinâ ponitur. Ex. gr.

Ex. gr. *Quodcunque mentes hominum perturbat, non est usurpandum*, atqui *vinum perturbat hominum mentes*, ergo *vinum non est usurpandum*. Refutatur hujusmodi fallacia distinctione *veræ causæ*, ab eâ, quæ tantùm est *causa per accidens*.

**Qu. 6. Quid est Sophisma enumerationis imperfectæ?*

Resp. Cùm ex imperfectâ partium enumeratione fallacia committitur.

Ex. gr. *Partes hominis sunt vel solidæ, vel fluidæ, Animæ neutrum ex istis convenit*, ergo *anima non est pars hominis*. Solvitur hoc sophisma ostensione deficientis membri in totius enumeratione.

**Qu. 7. Quid est Sophisma à dicto simpliciter ad dictum secundum quid?*

Resp. Cùm quod verum est simpliciter, concluditur etiam verum esse secundùm quid.

Ex. gr. *Membra non sunt abscindenda*, ergo *ne quidem sphacelata. Dentes non sunt evellendi*, ergo *ne quidem putrefacti*. Dissolvitur hoc & sequens sophisma distinguendo inter id, *quod verum est simpliciter*, & *quod verum conditionatè*,

**Qu. 8. Quid est sophisma à dicto secundum quid ad dictum simpliciter?*

Resp. Cùm à veritate conditionatâ ad absolutam concluditur.

Ex. gr. *Vinum nocet febricitanti*, ergo *vinum absolutè est noxium*.

Qu. 9. *Quid est Sophisma plurium interrogationum?*

Resp. Cùm ex confusione plurium interrogationum fallacia committitur.

Ex. gr. Si quæratur? *An mundus sit perfectus, & æternus?* solvitur hoc sophisma distinguendo quæstionem in suas partes.

* *Qu.* 10. *Quid est Sophisma falsæ consequentiæ?*

Resp. Quod ex argumento incongruo fallaciam committit.


Ex. gr. *Qui dicit te esse animal, dicit verum, sed qui dicit te esse asinum, dicit te esse animal, ergo qui dicit te esse asinum, dicit verum.* Refutatur optimè hoc genus fallaciæ conversione ejus in formam ratiocinii plebeji: ex. gr. *Qui dicit te esse asinum, dicit verum, quia dicit te esse animal*, unde vitium sponte elucet.

* *Qu.* 11. *Quid est Sophisma plurium terminorum?*

Resp. Cùm ex terminorum pluralitate fallacia committitur.

Ex. gr. *Omnes morbi sunt molesti, Medicus curat morbos, ergo medicus est molestus. Quod nix est, hoc grando non est, Nix autem alba est, Grando igitur alba non est.* Refutatur ostensione pluralitatis terminorum, vel conversione ejus in formam ratiocinii vulgaris, quo ipso sponte vitium apparet: ex. gr. *Medicus est molestus, quia curat morbos, qui sunt molesti.*

Finis Libri Tertii.



ARS COGITANDI EROTEMATICA.

LIBER IV.

DE METHODO.



CAPUT I.

DE METHODO IN GENERE.

*Qu. 1. *Quid est methodus?*

Resp. Est ordinata rerum tractandarum dispositio.

* Qu. 2. *Quidnam in qualibet methodo distinctè considerandum?*

Resp. Sermo & res ipsæ.

*Qu. 3. *Quotnam sunt Leges generales circa sermonem?*

Resp. Quatuor:

(1) Ver-

(1) Verbis uti accuratè & efficaciter rem ſignificantibus.

(2) Nihil in iiſdem obſcurum, nihil æquivocum relinquere.

(3) Rerum ſimplicitatem ipſo ſermone imitari.

(4) Pompam ſermonis,& luxuriam vitare.

*Qu. 4. *Quotnam ſunt Leges generales, circa rem ipſam in qualibet methodo obſervandæ?*

Reſp. Tres: lex homogeneitatis, plenitudinis, & connexionis.

*Qu. 5. *Quid requirit lex homogeneitatis?*

Reſp. Ut omnes partes tractationis ad eundem colliment ſcopum.

*Qu. 6. *Quid lex plenitudinis?*

Reſp. Ut ex iis, quæ præcipuè ad ſcopum faciunt, nihil deſit, ex cæteris nihil redundet.

*Qu. 7. *Quid lex connexionis?*

Reſp. Ut ordiatur tractatio à notioribus, indeque ad alia atque alia accuratè procedat.

*Qu. 8. *Quid amplius in qualibet methodo eſt diſtinguendum?*

Reſp. Materia & forma.

Materia sunt res ipsæ, quarum tractatio suscipitur; *forma* autem est ipse ordo ac modus, quo illæ per partes exponuntur.

* *Qu.* 9. *Quotuplex est methodus ratione materiæ?*

Resp. Duplex: universalis & particularis.

* *Qu.* 10. *Quid est methodus universalis?*

Resp. Quæ integrum aliquod disciplinæ corpus ordine convenienti exponit.

* *Qu.* 11. *Quid methodus particularis?*

Resp. Quæ singulare aliquod thema ordine congruo exponit.

* *Qu.* 12. *Quotuplex est methodus ratione formæ?*

Resp. Etiam duplex: arbitraria & naturalis.

* *Qu.* 13. *Quid est methodus arbitraria?*

Resp. Quæ relicto ordine naturæ ex arbitrio res disponit.

* *Qu.* 14. *Ubinam illa habet locum?*

Resp. Apud oratores, poëtas & historicos.

* *Qu.*

*Qu. 15. *Quid est methodus naturalis?*

Resp. Quæ res juxta naturalem sui connexionem accuratè exponit.

*Qu. 16. *Quotuplex est ea?*

Resp. Duplex: analytica & synthetica.



CAPUT II.

DE

METHODO ANALYTICA.

*Qu. 1. *Quid est Methodus analytica?*

Resp. Quæ à posterioribus ad priora, à compositis ad simplicia procedit.

*Qu. 2. *Quotnam sunt species methodi analyticæ?*

Resp. Quatuor:

(1) Cùm à toto ad partes tractatio procedit.
(2) Ab effectis ad causas.
(3) A fine ad media.
(4) A particularibus ad universalia.

*Qu. 3. *Quotnam sunt Leges generales methodi analyticæ?*

Resp. Sex:

(1) Tractationem incipere ab iis,

 quæ

quæ intellectui sunt notissima.

(2) Inde paulatim ad alia atque alia procedere, summum judicii acumen adhibendo.

(3) Cogitationes ad investigationem rei susceptas ordine concinno & æquabili promovere.

(4) Partes rei omnes attentè circumspicere, ut nihil omitti certum sit.

(5) Nihil unquam pro vero admittere, nisi quod certò & evidenter sit cognitum.

(6) Rem semel pervestigatam iterum atque iterum evolvere, subinde & aliorum oculis lustrandam offerre.

* *Qu.* 4. *In quibusnam disciplinis methodus analytica usurpatur?*

Resp. In disciplinis poëticis atque practicis.

In tribus artibus: *grammaticâ*, *rhetoricâ*, *logicâ*, tribus prudentiis, *ethicâ*, *œconomicâ*, *politicâ*, nec non in *theologiâ*, *jurisprudentiâ* & *medicinâ*.

CAP.



CAPUT III.

DE
METHODO SYNTHETICA.

**Qu.* 1. *Quid eſt Methodus ſynthetica?*

Reſp. Quæ à prioribus ad poſteriora, à ſimplicibus ad compoſita procedit.

**Qu.* 2. *Quotnam ſunt ſpecies Methodi ſyntheticæ?*

Reſp. Quatuor:

(1) Cùm à partibus ad totum tractatio procedit.
(2) A cauſis ad effecta.
(3) A mediis ad finem.
(4) Ab univerſalibus ad particularia.

**Qu.* 3. *Quotnam ſunt Leges ejuſdem generales?*

Reſp. Quinque:

(1) Tractationem incipere à ſimpliciſſimis.
(2) Inde juxta naturalem ordinem progredi ad proxima, hinc ulteriora atque cætera.
(3) Ad ratiocinandum aſſumere principia indiſputabilia.

 (4) Ex

(4) Ex his nihil deducere, nisi quòd certò & evidenter sequatur.

(5) Omnes adeoque propositiones demonstrativè probare.

**Qu.* 4. *In quibusnam Disciplinis ista methodus usurpatur?*

Resp. In disciplinis theoreticis.

In tribus scientiis: *mathematicâ*, *physicâ* & *metaphysicâ*. Κατ' ἐξοχὴν autem in *mathematicâ*, quæ nimirum evidentiâ atque certitudine suâ cæteris disciplinis immensum antecedit.



CAPUT IV.

DE

TRACTATIONIBUS LOGICIS DATORUM THEMATUM.

**Qu.* 1. *Quid est Tractatio logica?*

Resp. Est alicujus thematis per artificiosum discursum expositio.

Ejusmodi *tractatio* nunc est *genetica*, quæ discursum de dato themate componere, nunc *analytica*, quæ factum ab alio discursum rursus in suas partes resolvere docet. Utraque iisdem fundamentis innixa est, ut qui compositionem discursûs intellexerit, ejus resolutionem seu analysin ignorare nequeat.

*Qu. 2.

*Qu. 2. *Quotuplex eſt ejuſmodi Tractatio ratione objecti?*

Reſp. Duplex: alia thematis ſimplicis, alia conjuncti.

Tractatio thematis ſimplicis rurſus eſt vel *perfecta*, vel *imperfecta*.

DE TRACTATIONE THEMATIS SIMPLICIS PERFECTA.

*Qu. 3. *Quid eſt Tractatio thematis ſimplicis perfecta?*

Reſp. Quæ datum thema accuratè & plenariè exponit.

*Qu. 4. *Quotnam ſunt partes hujuſmodi tractationis?*

Reſp. Duæ: onomatologia & pragmatologia.

Onomatologia eſt prima diſcurſûs pars, quæ nominis explicationem tradit, dum *pragmatologia* dein rem ipſam per ſuas partes accuratè exponit.

*Qu. 5. *Quomodo procedit Onomatologia?*

Reſp. Hunc in modum:

(1) Definitio nominis quàm clariſſima exhibetur.

(2) Etymologia nominis (ſi quæ fuerit) exponitur.

(3) Synonyma (ſi quæ fuerint) indicantur.

(4) Homonymia (ſi quæ fuerit) explanatur.

*Qu.6. *Quomodo procedit Pragmatologia?*

Reſp. Hunc in modum:

(1) Definitio rei brevis, perſpicua & adæquata exhibetur.

(2) Rei genus ac ſedes in categoriis ſtatuitur.

(3) Res in ſuas partes, ſpecies,&c. dividitur.

(4) Ejus cauſæ inveſtigantur.

(5) Effectus memorabiles traduntur.

(6) Adjuncta ſeu comitata.

(7) Antecedentia & conſequentia.

(8) Cognata & comparata.

(9) Diverſa & oppoſita.

DE

DE TRACTATIONE THEMATIS SIMPLICIS IMPERFECTA.

*Qu. 7. *Quid est Tractatio thematis simplicis imperfecta?*

Resp. Quæ à rei definitione proficiscitur, & per hujus explicationem ordinatam absolvitur.

*Qu. 8. *Quomodo procedit hujusmodi tractatio?*

Resp. Hunc in modum:

(1) Definitio rei accurata exhibetur.

(2) Definitum onomatologicè exponitur.

(3) Genus proximum in definitione adhibitum explicatur.

(4) Differentia specifica accuratè exponitur.

(5) Adduntur alia, quæ ad ulteriorem rei illustrationem facere videntur.

Exemplum ejusmodi tractationis habetur in frontispicio hujus tyrocinii logici, sc. *Præludium Philosophiæ.*

DE

DE TRACTATIONE THEMATIS CONJUNCTI.

**Qu.* 9. *Quomodo procedit Tractatio thematis conjuncti?*

Resp. Hunc in modum:

(1) Propositio seu problema perspicuum constituitur.

(2) Subjectum & prædicatum propositionis datæ examinatur.

(3) Ea de se invicem affirmantur, vel negantur, prout naturaliter inter se convenire, vel disconvenire percipiuntur.

(4) Argumenta affirmationis seu negationis factæ ordine omnia, aut præcipua saltem & quàm solidissima traduntur.

(5) Objectiones & difficultates solvuntur.

(6) Assertio facta cum adductis rationibus breviter & nervosè repetitur.



CAPUT V.

DE METHODO DOCENDI.

**Qu.* 1. *Quænam virtutes requiruntur in Docente?*

Resp. Probitas, ſcientia, prudentia, fidelitas, diligentia, facundia & authoritas.

**Qu.* 2. *Quænam dein ſunt officia Docentis?*

Resp. Sequentia præſertim:

(1) Sedulò Deum orare pro felici inſtitutionis ſucceſſu.

(2) Benevolo affectu & amore ſincero diſcentes amplecti.

(3) Diligentem in eos locare operam.

(4) Comitem & affabilem ſe ipſis præbere.

(5) Veritatem & virtutem unicè docere.

(6) Sermonem atque methodum hinc rebus, illinc diſcentium captui & ingenio quàm maximè accommodare.

(7) Admonitionibus atque ſtimulis frequentibus diſcentium animos urgere.

(8)

(8) Præmiis interdum ac honoribus exhilarare.

(9) Errantes blandiùs objurgare, clementer ad meliora ducere.

(10) Cùm voto benedictionis divinæ olim valedicere.



CAP. VI.

DE METHODO DISCENDI.

** Qu. 1. Quænam virtutes requiruntur in Discente?*

Resp. Probitas, ætas, voluntas, ingenium, judicium & memoria.

**Qu. 2. Quænam dein sunt officia Discentis?*

Resp. Sequentia præsertim:

(1) Sedulò Deum implorare pro studiorum felici successu.

(2) Insigni amore atque reverentiâ docentem prosequi.

(3) Animum ad omnia adferre attentissimum.

(4) Præceptis à docente datis accuratè morigerum esse.

(5) In operâ præstandâ strenuum atque diligentem esse.

(6) Scientiam præceptoris & virtutes avidè ambire, ejusque exemplum strenuè imitari.

FINIS.



